



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

De Sacramento Evcharistiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094

503. Quicquid tandem sit de hoc Sacramento, inutilem esse & non necessariam ceremoniam. Puta: si Kemnitio credimus: Sin autem cæteris antè nos Theologis, Patribus, Conciliis, atq; adeo omnibus vbiuis gentium Christi fidelib⁹ aliter dicendum, aliter est docendum: Ecclesiam audire iube nur, & eos qui sedent super Cathedram, non alios. Matth. 18. 25. Deut. 17.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

*Ex Kemn. in 2.
part. Examin. d. 504.
pag. 75. eo què
seruat ordine.*

*Lutherani aucto-
res & fundatores
Caluinismi.*

TRistem & lamentabilem, eamq; perniciosam, & damnabilem controuersiam, hoc tempore à Sacramentariis fuisse excitatam, de reali, figurali & tropica præsentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ. *Kemn.* Cum perniciosi huius dogmatis etfi Zwinglius, vel Carolstadius, vel Caluinus est assertor, nemo tamen nisi ipse Lutherus, hoc tempore est auctor, qui primus palàm docuit, Sacramentum hoc non esse adorandum, Ex quo facile intulerunt illi, si adorandū non sit, Deum in eo realiter & corporaliter adesse non posse, quomodo enim si adest, adorari non debet? an Deus non est adorandus? Item, Panem non esse Corpus, sed In, Sub, & cum Pane esse Corpus, quod re ipsa aliud non est, quam panem esse figuram corporis, siue absentis siue præsentis. Deniq; hoc ipso loco, quid aliud intendit, vel contendit Kemnitius, quàm effectum huius Sacramenti, peccatorum putà remissionem, vel si quis est alius, non ipsi corpori, sed fidei duntaxat esse tribuendum? ita vt nullus fructus ex Sacramento percipiatur, nisi quantum fide apprehenditur & attrahitur: hoc autem quantum differat ab eo, quod Sacramentarij docent, nempè spiritualiter tantummodo per os fidei vel animæ corpus manducari, & vnumquemq; tantum in hoc Sacramento percipere, quantum fide percipit & at-

trahit,

trahit, quisq; iudicet, si enim idem non est, meo quidem iudicio longè diuersum non est. Itaq; non Pontificij, sed Lutherani, Calvinistarum turbationum causa sunt & origo.

505. Lutheranos prorsus alienos esse à sententia & opinione Calvinistarum de Cœna. Optandum esset, vt quantum verbis abesse volunt, tantum re ipsa abessent, quantum verò absint, præter ea quæ diximus quotidiana ipsorum ad ipsos demonstrat defectio. Quin ipsi passim Sacramentarij, verbis, scriptisq; publicis testantur & protestantur, se à genuina, Lutheri, Philippi, & ipsius Confessionis Augustanæ sententia, ne latum quidem discedere vnguem. Confessio ergo Augustana fons est & scaturigo harum omnium tristissimarum calamitatum & Calvinistarum, quibus summa cum tranquillitate, quoad fidem & religionem, antehac caruit Ecclesia Catholica.

506. Lutheranos simpliciter profiteri, amplecti & probare, illarum Ecclesiarum sententiam, quæ agnoscunt, & docent, veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, eo sensu, quem verba Christi simplici, propria, vsitata & genuina sua significatione præbent. *Kenn.* Egregie sanè: Cum & ipsi & omnes illæ ipsorum Ecclesiæ, à communi omnium & totius Ecclesiæ Catholicæ sententia, pertinaci animositate summaq; contentione discesserint?

507. Illum esse proprium, vsitatum, & genuinum sensum verborum Cœnæ, quem Lutherani sequuntur & amplectuntur. Miror, siis sensus proprius sit, vsitatus & genuinus, quem nulla vnquam antè nos approbavit vel tradidit Ecclesia? quæ enim obsecro Ecclesia, ante Lutheranos eum tradidit? Itaq; certum & lippis etiam notum est & manifestum, illum verborum Cœnæ sensum, quem Lutherani in Ecclesia non inuenerunt, sed contra eam in eam inuexerunt, non solum non esse vsitatum, sed prorsus inusitatum & inauditum.

508. Proprium & genuinum verborum Cœnæ sensum, nō ab Ecclesia, sed à scriptura sumendum esse Canonica. Cum alius proprius & genuinus scripturarum sensus nec sit, nec esse

P

possit,

3. Tim. 3.

possit, quam in Ecclesia, qua ipsa scriptura teste, veritatis est columna & fundamentum. Quisquis ergo ab ipsius discedit Ecclesia sententia, is ipsa scriptura teste, ab ipsius quoque indubie discedit scripturae sententia, Cum igitur indubitatum sit, Lutheranos publica Confessione & protestatione discessisse ab Ecclesia totius sententia, indubitatum quoque est, & esse debet, eos (quicquid etiam obtenderint) ab ipsius quoque scripturae vera, propria, usitata & genuina discessisse sententia.

509. Concilij Trident. Patres, à multis fuisse requisiti, ut definirent, quibusnam verbis consecratur Eucharistia, ipsos tamen nulla vel requisitionis, vel diffensionis publicae habita ratione definire noluisse. *Kem. pag. 77.* At qui obsecro illi multi requisiti? verebantur fortassis boni Patres, ne si definirent, Kemnitijs cum suis Patribus, Concilium definiendi ius nullum habere exclamarent, definitioni quae (ut factum est) non acquiescerent. Alioquin Sacramentum, alijs quam Christi consecrari verbis, nec haeretici quidem aliquando dubitarunt. *Infr.*

510. Pontificios plurimum inter sese dissentire & disputare, quibusnam verbis Eucharistia consecratur. *Idem.* At qui illi Pontificij? An non extant certa in omnibus eorum Missalibus Consecrationis verba?

511. Non esse disputandum, de modo existendi Corporis Christi in Sacramento, sed simpliciter credendum, in eo adesse corpus, licet quo modo in eo sit, defini non possit. *Kemnit. pag. 76.* Egregie: Contentiosissime disputant, imò ne disputant quidem ut Scholastici, pertinaciter asserunt, Corpus non esse in Sacramento per transubstantiationem, ut omnes ante nos Maiores & homines Christiani simpliciter crediderunt & docuerunt, sed esse, In, Sub, & Cum Pane, imò esse ubique, Et tamen non esse disputandum, nec inquirendum de modo existendi corporis in Sacramento, sed simpliciter credendum, & humiliter Deo commendandum esse praeferunt? An simpliciter creditur, quod docetur? ò simplex credulitas, hoc est, obstinata incredulitas.

512. Quod

512. Quosdam ex Pontificiis disputare, in tacita murmuratione horum quatuor verborum, *Hoc est corpus meum*, consistere consecrationem Eucharistiæ. *Idem pag. 76.* Cum ad vnum omnes (nullo discrepante) id doceant, & his ipsis proposita sanctificationi, Chrysostomum tentare, idem habet pag 78.

513. Quosdam ex Pontificiis, vt Thomam, contendere, non sufficere ad consecrationem illa quatuor duntaxat verba, sed quædam adhuc alia requiri, & ad eam pertinere. *Ibidem.* Cum, vt ipse paulò post, pag. 78. notat, Thomas canon ad consecrationem, sed ad Can. requirat.

514. Colonienfes in suo Antididagmate docere, eos infamare, qui existimant panem & vinum consecrari per verba Christi, nisi totus recitetur Canon Missæ. Cum aliud non velint, quàm omnia & singula verba adhibenda esse, quæ Ecclesia adhibere consuevit, non quod ad essentiam consecrationis pertinere existiment. Deinde id volunt, Non consecrari per verba Christi, si historicè tantùm recitentur, quod ipso etiam teste Kemnitio verum est.

515. Lyndanum in sua Panoplia scribere, illas Ecclesias, quæ non adhibito Papistico Canone, verbis institutionis Christi in Cæna vtuntur, non habere verum corpus & sanguinem Christi, sed tantùm panarium Sacramentum. *Kemnit. pag. 77.* De hoc nulli Catholici dubitarunt aliquando: Illæ enim Ecclesiæ quæ Canonem non adhibent, veræ non sunt Ecclesiæ, extrâ veram autem Ecclesiam Sacramentum hoc vel omninò non, vel saltem non legitimè aut vtiliter conficitur. De quo Cyprianus: *Lib. 4. cap. 43.*
Oleum in altari sanctificatur, sanctificare autem olei creaturam non potuit, qui nec altare habuit nec Ecclesiam, vnde nec Vinctio spiritalis apud hæreticos esse potest, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam apud illos omninò fieri non posse. Alioquin totum Canonem ad Consecrationem essentialiter pertinere, nec Lyndanus, nec vllus aliquando somniauit Pontificius. *Lib. 1. epist. 12.*

516. Disputari apud Pontificios, An ad Consecrationem
 Eucha-

Millesexcenti Errores,

Eucharistiæ, necessaria sit altaris, Sacerdotis, vasorum, vestiũ & reliquæ panoplæ Pontificiæ Consecratio. *Ibid.* Paulò inf. non solùm à Pontificiis disputari, sed planè consecrationem illis tribui scribit. Pontificij verò calumnias eiusmodi & figmenta floccipendunt, cum præter formam, materiam, & legitimum ministrum ad substantiam consecrationis nihil requirant, cætera siquidem accidentium partes obtinent.

517. Quosdam ex Pontificiis sentire, sine vllis verbis consecrationem fieri. *Ibid.* At qui illi sint Pontificij, non exprimit Kemnitius, figmentum est enim: ipsos verò sic sentire Lutheranos, vel ex hoc manifestum est, quod verba historica tantum non consecratiua, atq; etiam sine verbis vllis, Christum propter communicationem idiomatum, vbiq; præsentem esse doceant.

518. Sacramentum Eucharistiæ habere certum, proprium & peculiare verbum, sicut quoduis aliud Sacramentum. *Ibid.* Cum Sacramentum aliud præter Baptismum agnoscant nullũ, quamuis paulò post, pag. 82. Pœnitentiam quoq; Baptismo adnumeret & Cœnæ Kemnitius.

Proverb. 30.
Deus 4. 5.

519. Impiè Pontificios agere, quod verbis institutionis, alia quædam addant, quæ Christus addere non iussit, quin alibi distinctè præceperit, ne quid verbis ipsius addamus. *Kemnit. loc. cit.* Cum statim, sui oblitus, subiiciat, Rectè Patres, alias quædam preces & exhortationes addidisse.

520. Verba institutionis Cœnæ, esse Testamentum Christi, cui nihil prorsus sit addendum. *Ibid.* At mirum, quomodo testamentum corrumpatur, si per notarium, vel præfatio, vel attestatio, vel sub superq; scriptio, vel alia addantur accidentalia, substantiam potius ornantia quàm immutantia?

521. Veterem Ecclesiam, quamuis aliis precibus & exhortationibus, in administratione Cœnæ fuerit vsa, simpliciter tamè & rectè seussisse, sermone seu verbo Christi fieri consecrationem. *Ibid.* Cum nulla vnquam Ecclesia aliud aliquando senserit, aliud enim sentire vel docere Pontificios, figmentum est.

522. Lyndanum falsò tribuere Basilio, quasi senserit Consecratio-

secrationem fieri verbis non scriptis. Cum aliud non scribat, quàm veteres non fuisse contentos solis verbis consecrationis, sed addidisse quædam alia, quod verum esse, ipse paulo antea dixerat Kemnitijs, eaq; extant apud ipsum Basilium, loco ab ipso notato, cap. 27. de Spiritu sancto.

523. Pontificios magna ex parte formam Consecrationis mutilasse. *Ibid.* Cum ea omnia, quæ vel ipse ad essentiam & substantiam consecrationis requirit Kemnitijs, nullo omisso verbo, Canone suo comprehendant & recitent Pontificij.

524. Consecrationem non consistere in illis quatuor duntaxat verbis: *Hoc est corpus meum.* At miror in quibus aliis? cum ex his solis, an & quomodo panis sit Corpus probari possit.

525. Pontificios, eam solam ob causam Consecrationem ad illa quatuor duntaxat verba restringere, ut opinionem suam de transubstantiatione stabiliant: Quasi alia huic vel arrogent quicquam vel detrahant?

526. Consecrationem omnibus illis verbis fieri, quæ Christus in Cœna dixit, & Apostolus ad Corinthios repetit. *Ibid.* In *Matth. 26.* *1. Cor. 11.* eptè: Neque enim aliis verbis panis corpus esse cognoscitur & creditur, quàm quibus esse exprimitur, quis enim panem corpus esse dixerit, priusquam corpus esse dicitur? quis corpus nondum esse credat, postquam corpus esse dictum est? Num verbum Christi mendax est? ut panis nondum sit corpus, postquam corpus esse dictum est? aut corpus sit priusquam corpus esse dicitur? Ad essentiam ergò Consecrationis ea sola verba pertinent, quæ Corpus esse exprimunt.

527. Proclum quendam, ex opinione Pontificiorum, fingere, Apostolos Canonem Missæ composuisse intrà diem Ascensionis, & Pentecostes, ut esset forma Consecrationis. *Kemnitijs. In lib. de Tradit. diuina Lyurg. pag. 79.* Cum aliud non scribat, quàm Apostolos post Ascensionem Domini, antequam in varias mundi partes disungerentur, totos fuisse Orationi & Sacrificio deditos, semper memoria retinentes & reperentes, verba illa, *Hoc est corpus meum.* Fuit autem Proclus iste Episcopus Constantinop. paulò post D. Chrysostomum.

Millesexcenti Errores,

527. Gregorium scribere, Apostolos ad solam orationem Dominicam, consecrasse Eucharistiam. *Ibid. Infr. de Miss.* Cur ergo Apostolicam hanc traditionem non obseruant ipsi? Cur obseruantes Pontificios subfannant? Aut fortè Pontificij in Canone, Orationem non adhibent Dominicam?

528. Dubiam & incertam esse Canonicam illam Pontificiam consecrationem, Sed quare? an propter rationes suprapositas? at quæ illæ? Etenim aliis quàm Christi verbis Consecrationem fieri, nec per somnium quidem docuerunt aliquando Pontificij.

529. Recitationem verborum institutionis, non fieri magicè, ad illum putà modum, quò magi carmina sua conceptis quibusdam verbis recitant, ad quorum recitationem, effectus magicus operante Diabolo consequitur. *Kemnit. pag. 78.* Sed dissimilitudinem nec ex ipso quidem colligas Kemnitio, Sicut enim Magus, Minister putà Diaboli, certa quædam concepta q; & ab ipso Diabolo præscripta, recitat verba, ad quorum recitationem, operante Diabolo magicus subsequitur effectus: sic ad recitationem verborum Christi, ipso Christo operante, & Ministro eius proferente, effectus ille sequitur, propter quem verba illa recitantur, Nec minùs efficax est Christus, per verbum, Ministrumq; suum, ad producendum effectum veraciter, quàm Diabolus per verbum & Magum suum, ad producendum effectum fallaciter & apparenter.

530. Consecrationem Pontificiam, Incantationem esse magicam. At cum Consecratio aliud non sit, quàm recitatio verborum Christi, à legitimo Christi Ministro profecta, necesse est, si magia est consecratio, Christus ipse Diabolus, ac Minister eius sit magus, Cum tamen Minister nullo prorsus interueniente pacto cum Diabolo, verba concepta Christi, non Diaboli recitet, nec suis, sed Christi verbis corpus efficiat.

531. Non hominem aut Ministrum, sed Christum efficere quod panis sit vel fiat corpus. Quasi quis dubitet? verum licet Christus id efficiat, tamen id non efficit, nisi per hominem seu Ministrum suum.

532. Non

532. *bt m* Non actione ministri, sed vi verbi Dei à Ministro recitati, fieri corpus præsens in Cœna. Quasi aliud sit recitatio verborum Christi, quàm actio quædam ministri? sine quo verbum scriptum efficax non esset.

533. Recitationem verborum institutionis, adhiberi in consecratione, tanquam ordinationem, mandatum, promissionem, & priuilegium mediatoris nostri Christi, vt admoneamur & certi reddamur, quid in Cœna faciendum sit vel credendum. At hoc, quid aliud sit vel sonet, quàm Ministrū ex ordinatione Dei habere priuilegium consecrandi corpus, ego non video.

534. Recitari à Lutheranis verba institutionis in Cœna, non tantum historicè, sed vt ostendatur Ecclesiæ, Christum ipsum per verbum iuxta mandatum & promissionem suam, Cœnæ adesse, & potentia illius verbi exhibere vescentibus suū corpus & sanguinem, ipsum enim esse qui ait, *Hoc est corpus meum*, & ipsum vi verbi esse efficacem, vt panis sit corpus. *Kemnit. Vanè*: Quid enim hoc totum est aliud, quàm nuda verborum ex parte Ministri historica recitatio? An non per recitationem cuiuscung; alterius promissionis testamur Christum adesse iis, quibus se adfuturum promittit? & eam promissionem implere? Deinde Minister non efficit Christum quoquo modo adesse in Cœna, sed per recitationem verborum loco Christi efficit, vt panis id sit, quod verbo Christi esse dicitur, nempe corpus, &c.

535. Dyonisium asserere, Sacerdotem in administratione Eucharistiæ, tanquam priuilegium, hæc verba præmittere, *Tu dixisti, hoc facite in mei commemorationem, &c.* Cum Dyonisius loquatur de Sacrificio Missæ, Num iuxta Kemnitium, Sacerdos ex priuilegio Christi, Eucharistiam sacrificat?

536. Hoc interesse inter consecrationem, & historicam recitationem, quod quando institutio recitatur, & non facimus quod Christus fecit & facere iussit, tunc non est consecratio, sed historica tantum recitatio, quando verò recitamus, & facimus, quod ille iussit, tunc verbis illius benedicimus pani & poculo. *Kem. Inepitiq; Quæro, n.* Num minister per verba recitata, verè benedicat panem

Millesexcenti Errores,

Panem & poculum? an verò tantùm ostendat Christum adesse?
Si illud, Cur talem benedictionem & consecrationem, magicam
appellant incantationem? si hoc? quomodo non est nuda & hi-
storica recitatio? Taceo, nihil eorum omnium in Canone præ-
termitti, quæ Christus in Cœna dixit, gessit, iussit, instituit?

537. Pontificios sine mandato Dei, humanas assuere Con-
secrationi traditiones. Magnum scilicet piaculum & Sacrilegi-
um, preces quasdam, aliasq; caremonias à Maioribus religiosè
institutas, & à tota Ecclesia approbatas addere? quas rectè vete-
rem Ecclesiam addidisse, ipse paulò antè dixerat Kemnitius.
Supr.

538. Pontificios docere, Non fieri consecrationem, nisi con-
suetæ adhibeantur caremonix, cum verbo Dei pugnantes. At
miror, quis cum verbo Dei pugnare dixerit? cum tota per orbem
terrarum Ecclesia non pugnare declarârit? Etsi autem Pontifi-
cij docent, consecrationem sine illis fieri non debere, vt ritus &
ordo, quantum fieri potest & debet, in Ecclesia deceter seruetur,
in illis tamen substantiam consecrationis consistere minimè do-
cent.

539. Petrum Comestorem asserere, Christum ignotis no-
bis consecrasse verbis. An non licet cuius, quod velit, opinari
vel asserere? Num opinio illa à Conciliis, vel cæteris approbata
definitaq; fuit Scholasticis? Et qua qua ratione Kemnitius e-
am improbabit, si Comestor pertinaciter tueri voluerit? Nam
Christum dicere: *Hoc est corpus meum*, audio, lego, credo, at ve-
rò quibus verbis, antequam corpus esse diceret, corpus esse esse-
cerit, seu consecrauerit, non lego, quin præmissa benedictione,
naturam elementorum immutasse, eaq; mutata fregisse, distri-
buisse, ac corpus suum esse dixisse, si quis (vt dixi) pertinaciter
asserere velit, non video, quibus argumentis, id infringas, Pet
illa tamen verba, *Hoc est corpus meum*, Consecrationem fieri cre-
do.

540. Pontificios Consecrationem non solùm tribuere ver-
bis, sed etiam operi ipsius sacrificuli. Quid sibi velint, nescio, opus
enim

enim Sacerdotis, recitatio est verborum Christi, quibus fieri consecrationem, quis ambigat? quæ quidem à Christo principaliter, à Ministro verò procedit ministerialiter.

541. Pontificios Consecrationem non tantum tribuere verbis Christi, sed etiam variis sacrificuli gesticulationibus, ut expansioni, complicationi, elevationi, diductioni manuum, cervicis, corporis, &c. Nugæ & Calumniæ; Quasi inter cæremonias non distinguant & substantiam? Cæremonias autem illas, quis præter sectarios & atheos gesticulationes unquam dixit? infra de Miss.

542. Pontificios, Consecrationem Eucharistiæ, non tantum tribuere verbis, sed etiam consecrationi ipsius Sacerdotis. Proxus: Neq; enim nisi à legitimo consecratio fit Ministro, legitimus autem Minister non est, qui iuxta communem Ecclesiæ totius ritum & ordinationem consecratus non est. Vnde etiam sacer, seu Sacerdos dicitur, quia & ipse sacris verbis consecratus est, & sacris verbis alia consecrat & sanctificat. Alibi.

543. Non esse necessaria vlla verba ad consecrationem, eò quod de verbis Christus nihil mandauerit, solum autem corpus suum manducare iusserit. *Bucer. in cap. 26. Matth.* Cuius opinionem ipse damnat Kemnitijs pag. 77. licet auctoris nomen non exprimat. Error planè futilis, quomodo enim manducare corpus poterimus, nisi corpus esse cognouerimus & crediderimus? vnde autem corpus esse cognoscitur & creditur, nisi quia verbo Christi corpus esse dicitur? Et quomodo dictum illud Augustini, à tota probatum Ecclesia, verum erit, *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum?*

544. Parum referre, quibus verbis Sacramentum hoc consecratur & conficiatur, dummodo fides adsit suscipientis. *Luth. in Capt. Babyl. cap. de Bapt.* Sed si parum refert, quibus verbis consecratur, parum ergò refert, verbis uti Christi, cuius certa, & ab Apostolo ad Corinthios repetita, extant verba? Quasi verò Sacramenta Christi, supra hominum fundata sint qualemcumq; fidem vel vitam, & non magis supra institutionem eius.

2

545. Con.

Millesexcenti Errores,

545. Consecrationem consistere in his quinque actionibus, Acceptione, benedictione, fractione, distributione, & manducatione panis. *Kemnit. loc. cit.* Sed quare non etiā in gratiarum actione? neque enim minus gratias egit, quā benedixit aut fregit, aut distribuit Christus? Et mirum sanē, quomodo in benedictione vel acceptione panis sit corpus, cum corpus esse nondum sit dictum, aut corpus ante distributionem nondum sit, cū iam esse dictum sit? *Infr.*

1. Cor. II.

546. Verbum Eucharistiæ non esse consecratorium, sed Concionale & historicum, proinde ad consecrationem sufficere, si recitentur verba ex Epist. Pauli, cum aliqua concione ad instructionem populi. *Calvin. lib. 4. Inst. cap. 17. §. 39. Nec dissentiunt Lutherani.* At cerē nec Christus, nec Paulus, ea verba historicē pronunciarunt, nec dum recitarent concionem istiusmodi adhibuerunt, sed id solum intendebant & agebant, ut quod dicebant, panem nempe esse corpus, homines crederent & dignē ederent, & à reliquis cibis discernērent: Aliud in Ecclesia nec auditum aliquando fuit, nec prædicatum.

547. Veteres non esse alienos à sententia supradicta Calvini & Lutheri: Cum nullus omnino veterum historicæ alicuius recitationis, aut Concionis, & populi instructionis meminerit, sed diuini numinis, aiunt, inuocatione, mystica prece, solenni benedictione, & gratiarum actione, certāque consecratione & sanctificatione, panem fieri corpus.

548. Christum, quando dixit, *Accipite māducate, Hoc est corpus meum*, non fuisse allocutum panem, sed Apostolos, proinde non ad panem sacrandum, sed ad fidem eorum excitandam & nutriendam, verba illa protulisse. *Calvinus loco cit.* Ineptum An enim ideò panis corpus non fuit, quia panem allocutus non fuit? & quomodo persuadere poterat, panem esse corpus, nisi corpus esset? An ideò filius Reguli viuus non fuit, quia non ad ipsum, sed ad patrem dixerat Christus, filius tuus viuit? Ioan 8.

549. Consecrationem Pontificiam, Ouidianam esse metamorphosin. *Calvin. & Luth.* Sed hac ratione omnia Dei opera, me.

ra metamorphosin dixerint, sicut quando aquam mutauit in vinum, aut sanguinem. An magis magicum est, vinum mutari in sanguinem, quam aquam in vinum? *Ioan. 2.
Exod. 7.*

De Vsu & Fructu Coenae.

550. **C**oncilium Trident. falso tribuere Lutheranis, quod negent, vllum esse alium Coenae fructum ve esse-
ctum, praterquam remissionem peccatorum. *Ex Kenn. in 2. part. Exam. d pag. 81.*

Cum Concilium generatim omnes eos damnet, quicumq; sint, id qui negant: quem autem alium tribuant, ignoro.

551. Pontificios docere, hominem participatione huius Sacramenti, non fieri participem omnium beneficiorum Christi. *Omnes ad nauseam vsq; Lutherani.* Cum perspicuis verbis Concil. Trident. ipso etiam Kennitio teste & recitante, eos omnes dam-
net, id qui asseruerint vel docuerint. *Sess. 3. Cap. 5.*

552. Primarium effectum Eucharistiae non esse spiritualem animae nutritionem & refectionem. At miror, si quis cibi & nutrimenti spiritualis, alius esse possit, sed neq; Christus alium expressit, Ioan. 6.

553. Effectum primarium Eucharistiae esse remissionem peccatorum mortalium. At si Eucharistia peccata remittit, falsum est ergo ipsorum, tritum alioquin paradoxum: Non Sacramentum, sed solam iustificare fidem.

554. Rurs. Eucharistiam (inquiunt) remittere peccata, non tantum leuia, sed etiam grauia & mortalia. Quid ergo Baptismus? quid Absolutio? cur baptizati vel contriti communicant?

555. Iterum. Eucharistiae proprium & primarium effectum esse volunt remissionem, & tamen neminem sine baptismo, fide & poenitentia debere accedere, pariter contendunt. Aut ergo peccata per baptismum, fidem & Absolutionem ante Coenam ipsorum sunt remissa, & sic Eucharistia peccata nunquam remittit, quia nunquam inuenit: Aut si remittit baptismus, ergo Fides, & poenitentia peccata non remittunt, quod quam sit inane, & enorme, quis non videt?

Millesexcenti Errores,

556. Non frustra sumi Eucharistiam, quamuis peccata quæ remittat, in homine non inueniat. *Kemnit.* Omnia vana, omnia pugnancia: Eucharistiam, aiunt, non propterea frustra sumi, quantumuis peccata quæ remittat, non inueniat, cum nunquam hominem peccato carere, imò ipsum esse peccatum pariter contendat? Rursum: Non frustra (aiunt) sumi, quamuis peccata quæ remittat, non inueniat: An ergo causa datur absq; effectu suo primario? Et quomodo non frustra sumitur, si quod ex sumptione speratur, ante sumptionem habetur.

557. Deniq; Eucharistiam volunt institutam esse ad delenda peccata, post baptismum contracta. Cum (vt sup. de Baptis.) sola recordatione Baptismi peccata remitti, & hominem ad fœdus sui baptismi quoties voluerit redige, pariter & pertinaciter asseuerent?

557. Pontificios vt satisfactiones suas, & reliquas veniarum & indulgentiarum nundinationes, retineant acerbè dimicare, in vero vsu Eucharistiæ non fieri applicationem remissionis peccatorum. *Kemnit. pag. 81.* Quæ vertigo? Modò enim applicare, modò conferre, modò exhibere, modò, aiunt, obsignare, tandem nullam omninò veram esse remissionem, sed solum, nò imputationem. Remissionem peccatorum Pontificij agnoscunt & docent, externam verò applicationem vel obsignationem fictitiam Kemnitij ignorant.

558. Pontificios nullam tribuere remissionem peccatorum Eucharistiæ, vt stabiliant dogma suum de incertitudine gratiæ & remissionis. *Kemnitius ibid.* Imò verò planè contrarium. Nisi enim remissum per Confessionem & Contritionem peccatum crederent, Eucharistiam nec ipsi perciperent, nec percipere alium quemquam permetterent.

559. Pontificios, ne vllam turbatis & anxiiis conscientiis firmam, certam, & Christianam consolationem, de fiducia & certitudine remissionis peccatorum relinquunt, contendere, in vsu Eucharistiæ, nec applicationem, nec obsignationem fieri remissionis peccatorum, in singulis fide Sacramento vtentibus. Calumnia:

Iunna: Nisi enim peccata sibi remitti crederent, Sacramenta nec quærent, nec perciperent: Fidem autem requirunt Pontificij non quamlibet, sed Catholicam, per quam, & in qua sola peccata remittuntur.

560. Pontificios, hanc facere partitionem inter Eucharistiam & Missam, quod Missa quælibet peccata, etiam graua, remittat, idq; ex opere operato, sine vlllo peccatoris vel negotio vel periculo, Eucharistia verò tantum leuia & minutiora, idq; non sine magno periculo & labore, nisi quis ab omnibus antè grauioribus immunis, purus & sanctus fuerit. *Kem. pag. 82. Errat.* Neq; enim sine secunda post naufragiū tabula, hoc est, vera & digna pœnitentia, vllam vlli remissionem docent contingere; Nisi quis enim pœnitentiam egerit, quantumuis Missas sexcentas audierit, & Eucharistiam millies perceperit, in peccatis suis peribit. Cum vice versa Lutherani passim omnes doceant, sola baptismi recordatione, & fide in promissionem diuinam, deleri & absorberi peccata, nec vlla satisfactione confessio neq; laboriosa & onerosa opus esse. *Supr. de Bapt.*

Luc. 13.

561. Andradium cæterosq; Pontificios futiliter argutari & argumentari, frustra sumi Eucharistiam, si peccata per fidem & Pœnitentiam remittantur. *Kemnit.* At non argumentantur Pontificij, frustra sumi, sed frustra sumi in remissionem peccatorum, quæ fide opinione ipsorum, pœnitentiæ verò Sacramento opinione Pontificiorum, percipitur & confertur.

562. Eucharistiam non frustra sumi, tametsi peccata quæ remittat, non inueniat, obsignare enim remissionem factam, excitare fidem, confirmare peccatorem, &c. Vana omnia: Neque enim quæstio est, An remissionem obsignet, fidem alat, vel confirmet, sed an remissionem verè conferat. Mirabile est enim prorsus, si peccatorum remissio proprius & primarius effectus est Eucharistiæ, quod eum nunquam attingat? Sed aliunde productum, duntaxat obsignet vel confirmet?

563. Eucharistiam hominem certum reddere de applicatione remissionis & reconciliationis in particulari. *Idem.* At quomodo

Millesexcenti Errores,

1. Cor. 11.
Matth. 26.

Luc. 17.

Luc. 7.

quomodo certum hominem Eucharistiæ reddit sumptio, cum eam plurimi, non in remissionem, sed ad mortem sumant & cōdemnationem? An enim Iudas in Cœna, sumptione huius Sacramenti certus est redditus de remissione? Itaq; non quæuis, sed digna Sacramenti perceptio, certum reddit sumentem de remissione? Iam verò dicant nobis, eam qui dignè percipiant, & dicemus illis, an remissionem certò habeant. Nos enim etsi omnia quæ possumus, egerimus, indignos tamen agnoscimus, atq; idè cum Centurione dicimus; *Dñe, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Multi de certitudine iustitiæ suæ & remissionis præsumunt, pauci verò sunt certi; qui enim non fecerit quod Deus præcipit, sperare non potest, quod Deus promittit. Alibi.

564. Lutheranos tribuere unicuiq; Sacramento quod ei est proprium, nempe baptismo regenerationem, Eucharistiæ nutritionem, pœnitentiæ & fidei promissionem gratiæ, seu reconciliationem. *Kemn. sunt verba.* Quæ inconstantia? proprium se ait effectum Eucharistiæ facere nutritionem, pœnitentiæ verò reconciliationem siue remissionem, cum plenis vbiq; buccis personent, proprium & primarium Eucharistiæ effectum esse remissionem, non tantum venialiū, sed mortalium peccatorum? Deinde proprium effectum Sacramenti Pœnitentiæ ait esse reconciliationem, cum tñ propriè Sacramentum esse negent. An, quod proprie non est Sacramentū, proprium habet effectum Sacramenti.

565. Pontificios, dulcem, vtilem & necessariam consolationem, & confirmationem fidei, Ecclesiæ eripere, quando ex fructibus & effectibus Eucharistiæ, expungunt applicationem & oblationem remissionis peccatorum. *Ibid.* Iam iam dixerat, propriū effectum Eucharistiæ esse nutritionem, pœnitentiæ verò & fidei reconciliationem & remissionem: An, quid velit, nescit?

566. Remissionem peccatorū ipsi tribuere Eucharistiæ, nec nouum quippiam, nec absurdum esse, extare enim in omnī veterum Lyrurgiis preces, ut sumptio Corporis & sanguinis Domini, fiat nobis in remissionem peccatorum. *Idem.* Quasi eadem omnino, in Missis non extant Pontificiorum. Ex hoc potius

tius videre debet Kemnitius, nec Missas, nec Missarum precatio-
nes, noui aliquid continere vel absurdi.

567. Christum disertis verbis testari, Corpus suum man-
ducari in remissionem peccatorum. Disertis (aiunt) Christum id
testari verbis, cum similia nullibi legantur verba, tradit siquidem,
non manducari ait in remissionem, quæ quidem traditio in Cruce
facta est, non in Cœna. Nec vsquam scriptum est, *Accipite, edite,*
hoc corpus in remissionem peccatorum vestrorum, sicut scriptum est, pœni-
tentiam agite, et baptizetur vnusquisq; in remissionem peccatorum.

Math. 26

Marc. 14

Actor. 2

568. Siu met ex Missis Pontificios conuinci, quod Eucha-
ristia sumatur in remissionem peccatorum, in his siquidem o-
mnibus precantur, vt sumptio corporis & sanguinis Domini fi-
at accipientibus in remissionem peccatorum, & vitam æternam,
&c. An ergo non lacesitus pugnat, & insequit Pontificios Kem-
si enim idem docent quod ipse, cur non idem docere, nec vllam
perturbatis conscientis consolationem relinquere, calumniatur
aut cauillatur potius? An docent, quod non docent? Suo ergo
modo, & Eucharistia & reliqua Sacramenta, quemadmodum &
Charitas, & Eleemosyna, & eiusmodi media alia peccata re-
mittunt, si nempe pœnitentiam egeris. Si enim non egeris, *Luc. 13*
nec Eucharistia peccata remittet, nec Eleemosyna, vel cætera re-
missionis media, &c. Eucharistia igitur peccata dimittit venia-
lia, & gratiam confert ad euitanda maiora. Sic Concil. Trident.

Luc. 13

Actor. 8

De Excellentia & permanentia Eucha- ristiæ extrâ vsum.

569. Eucharistiam, non esse Sacramentum, cæteris di-
gnius & excellentius, quod idem in Sacramentis Chri-
stus percipiatur omnibus. *Luth.* An aliud Calvinista?

Ex Kemn. in 2.

part. Exam. d

pag. 83

Etsi enim idem in omnibus spiritualiter, in nullo tamen est vel
percipitur, nisi in hoc realiter & corporaliter.

570. Sacramentum hoc esse Organum, institutum ad distribu-
tionem, oblationem, & applicationem beneficiorum Christi.
Hæc secum pugnant, si enim est distributio, quomodo est obla-
tio? an idem sunt, distribuere & oblationem?

571.

Millesexcenti Errores,

571. Pontificios docere, Eucharistiam esse extra usum, ad quem diuinitus est instituta. Minimè, sed diuersum esse ab usu suo docent; neq; enim idem sunt, res & usus rei.

572. Patres Conc. Triden. magis fuisse sollicitos de stabilendis futilibus Scholasticorum traditionibus, quàm de vtilibus Eucharistię explanationib⁹, cuiusmodi sunt, distributio, obsignatio & applicatio eius, &c. Mirum, Concilia Oecumenica, ex toto orbe, propter puritatem religionis & vtilitatem populi Christiani, coacta, futilitates stabilire, vtilitates damnare? At sanè nisi futilia essent omnium hæreticorum dogmata, nulla cogerentur velea damnarent Concilia.

573. Vnicam certissimam, & firmissimam esse regulam, Sacramenta extra usum, non habere rationem Sacramenti.

Kemnit. Certissimam vocat & firmissimam regulam, nulla prorsus scriptura firmatam, nullo Concilio definitam, à nullis Patribus traditam, à nullis Theologis assertam, ab omnibus semper & vbiq; damnatam. An panis non est diuersus ab usu & esu panis?

574. Concilium Tridentinum non potuisse stabilire dogma illud de permanentia Sacramenti extra usum, nisi prius damnaret illud vnicum, certissimum & firmissimum axioma, Nullum Sacramentum habere rationem Sacramenti extra usum. Quæ ineptiæ? quomodo enim partem assereret vnã, nisi damnaret contrariam? Et axioma quidem illud ex qua scriptura? ex qua Schola?

575. Eucharistiam non esse rem permanentem, sed actionem transeuntem. An ergo panis, qui est corpus, res non est permanentis?

576. Corpus Christi non esse extra usum & esum. An ergo verba dant Ministri Lutherani, quando accepto in manus pane, ante usum eius inquirunt: *Accipite, edite, Hoc est corpus?* dicere si quidem deberent, *Accipite et manducate, hoc nondum est corpus, sed fiet corpus in usu et ore vestro, quod si edere nolueritis, nec est, nec erit corpus.* Ut interim taceam eos, nec extra, nec intra usum & actio.

actionem corpus consecrare vel ministrare, qui legitimè ad ministerium non sunt vocati, cuiusmodi non est dubium, eos esse omnes, qui ab Ecclesia Catholica, & legitima omnium Maiorum nostrorum successione & vocatione sunt alieni, & sua vocatione & ordinatione vocati & ordinati.

577. Corpus non esse in hoc Sacramento, nisi quando aëtu manducatur. *Calvinus libr. 4. cap. 14. §. 37. 39.* Cum toto distare Cælo passim doceat. Quod si etiam de Corpore spirituali loquatur, cum illud non nisi per fidem percipiatur, non minùs manducabitur extra usum, quàm in ipso usu.

578. Rursum, Corpus Christi non esse nisi in usu & esu. Cum passim doceant, corpus esse, In, sub, & cum pane: An idem est esse in pane, & esse in ore, seu usu panis? & quomodo edi potest in pane, nisi prius sit in pane, quàm in ore?

579. Corpus non esse in pane nisi manducetur, quod Christus de eo, prius quàm corpus suum esse diceret, dixerit; *Accipite, edite, hoc est corpus meum; non autem, Hoc est corpus meum, accipite & edite.* Vanatillatio. Neque enim verba ex ordine, sed ponderanda & intelligenda sunt ex sensu & significatione, siue enim antè, siue post dicatur, Accipite, edite, ideo dicitur, vt credatur & sciat corpus esse, quod ad manducandum porrigitur, & in pane manducatur. Quin alibi transposita verba non obscure leguntur, *Hic est enim panis (inquit Christus) qui de cælo descendit, vt si quis ex eo manducauerit, habeat vitam æternam.* Ioan. 6.

580. Corpus non esse tantùm in usu, sed in tota actione, nempe in his quinque actionibus, acceptione, benedictione, fractione, distributione, & manducatione panis. *Kemnit.* Opinio omnium absurdissima: Nam aut intelligit in omnibus illis actionibus simul sumptis esse corpus, & sic non erit in actione, sed post actionem, omnibus scilicet actionibus illis transactis & absolutis; aut in singulis seorsim acceptis, & sic erit extra usum & manducationem, nempe in acceptione, benedictione, & fractione, ibiq; moram aliquandiu trahere debet, donec an manducare velis, vel nolis, deliberes. Sed neq; iuxta hanc opinionem

R

expli-

Millesexcenti Errores,

explicari vlllo modo potest, quomodo, vel quando incipiat aut desinat esse in Sacramento corpus.

581. Manifestum esse, Eucharistiam non alium in vsum esse institutam, quam vt manducetur, neq; enim dixisse aliud Christum, quam *Accipite & edite, &c.* Sed ad Esum & manducationem finaliter esse institutam negat nemo, Esum tamen causam esse formalem presentia corporis, nemo Catholicus vnquam asseruit. Esto ergo, causa finalis sit esus, non tamen est formalis, quemadmodum nec panis materialis alium in vsum conficitur quam ad esum, non ideo tamen panis esse desinit, si vel ilico, vel omnino non manducetur.

582. Eucharistiam non minus in actione consistere, quam Baptismum. At Christus non dixit Aquam esse Baptismum, sicut dixit, panem esse corpus.

583. Eucharistiam magis consistere in actione quam Baptismum, eo quod quinque actiones in ea concurrant, vt supr. Atqui de nulla actione, sed de pane solo, circa quem actiones illae versantur, Christus dixit, suum esse corpus, cuius vsus tunc demum sequitur, quando per verbum Christi corpus esse dicitur & efficitur.

584. Non minus stultum esse, si dicatur, Accipite, manducate, si nemo adsit qui manducet, quam si dicatur, Ego baptizo te, si adsit nemo, qui baptizetur. Nugae. Quis enim audiuit vnquam Sacerdotem porrigentem Eucharistiam ac dicentem, Accipite, manducate, &c. nisi adessent, quibus manducandam porrigeret? Deinde diuersa longe ratio est abluitionis & manducationis, neq; enim abluere potest homo, nisi praesens sit homo; manducare vero panem, qui est corpus Domini, quis cogitur? Quin vice versa, sicut abluere non potest homo, nisi priusquam abluatur, verè praesens sit homo, ita manducari non potest corpus, nisi priusquam manducetur in pane, verè praesens sit in pane.

585. Ridiculum esse, quod Sacerdos, cum Missam celebrat, & Eucharistiam consecrat, dicat, Accipite, manducate, hoc est corpus meum, cum tamen nemo adsit qui manducet, vel manducare cupiat, nisi forte statuae & simulachra hominum & altarium?

rium? An ergo non adest ipse manducans Sacerdos? Quod si qui alij non sint, qui manducare velint, his ipsis verbis ut veniant & manducant inuitantur, & negligentia arguuntur, iuxta illud, *Homo quidam fecit Cœnam magnam, vocauit seruos suos, dicens, Luc. 14. venite ad nuptias, quia parata sunt omnia, ipsi autem coeperunt se singuli excusare, &c.* Quamuis ex persona Christi verba illa pronunciantur.

586. Veteres censuisse, non esse perfectam Missam, nisi adessent, qui cum Sacerdote communicarent. Nec dissentire Durandum, Gabr. Cassandrum, &c. Infr. de Miss. priuat. Ex hoc autem, si cæci non essent videre deberent, Missam rem non esse nouam, nec à veteribus institutam vel improbatam, nec Eucharistiam extra Missam vnquam consecrari solitam.

De Afferuatione Eucharistiæ.

Tam vana, tamq̄ pugnancia sunt omnia, quæ de Afferuatione Sacramenti huius coaceruat hoc loco Kemnitijs, ut vanum sit, prope- *Ex Kemn. in 2. pari. Examin. d. pag. 103.*
modum ea referre: acerbè perstringit Pontificios, promittens se ex antiquitate, luce meridiana clarius, demonstraturum, Eucharistiam apud veteres non fuisse afferuatam, cum ea omnia, quæ ex ipsis veteribus allegat, prorsus probent oppositum.

587. Cœnam Dominicam ab aliquot iam annis in regno Pontificio fuisse transformatam in actiones planè diuersas ab eo usu, ad quem diuinitus fuit instituta. *Kem. pag. 84.* A quot annis obsecro? Neq; enim allum à Maioribus, totaq; Ecclesia usum accepimus, quàm à Pontificiis, ab ipsis veteribus traditum, retineri videmus.

587. Cœnam Dominicam, in alias, à vero usu eius, actiones fuisse transformatam. In quas? in Afferuationem, aiunt, ostentationem, circumgestationem, &c. At quis Cœnâ apud Pontificios vnquam vidit reclusam? afferuatâ? circumgestatam? panem, qui corpus est, ne quam iniuriâ patiatur, suumq; honorem & usum assequatur, afferuant, nullâ Cœnam.

R 2

588. Cœ-

Millesexcenti Errores,

588. Cœnam Dominicam non esse aliò referendam, quàm ad manducationem. At neque Pontificij Cœnam aliò referunt, quid enim aliud est Cœna Dominica, quàm manducatio panis Domini in Cœna propositi? Aliud verò panis est, qui in Cœna manducandus proponitur, aliud ipsa Cœna seu distributio & manducatio panis.

589. Non esse asseruendam Eucharistiam. *Luth. de adorat. Sacram.* Cum pro infirmis in Monstrantiis asseruendam esse alibi expressè doceat. Tom. 7. de vtraq; Specie.

590. Christum non iussisse, vt panis, qui corpus est eius, asseruetur, vel ostentetur, sed manducetur. At qui haud rectè infertur, Non iussit, ergò ne fieret, prohibuit. Non iussit Pater, vt adoret, sed vt audiatur filius, nec filius venit, vt ministraretur vel adoraretur, sed vt ministraret & pateretur, an ergo adorare non licet? An panis fragmenta, quæ figura fuere panis Christi, ne pereant, asseruare iussit Christus? Ioan. 6. An Deus non iubet, quod natura dicat? An non dicat Deum esse adorandum, quamuis ipse per literas nouumq; mandatum adorare non iubeat?

*Matth. 7.
Matth. 20.*

591. Christum in Cœna non asseruasse, vel circumgestasse, sed benedixisse, fregisse, & distribuisse panem suum, &c. At mirum, si particulas fecit, dum vnã vni porrigebat, alteram pro altero non asseruãrit? Et si distribuit, quomodo in manibus corpus suum non gestauit, & ab vno ad alterum, quibus distribuerebat (vt fit etiamnum) circumgestabat? Quod si eo, quo modo fit, ritu & solennitate non asseruauit vel circumgestauit, non quia non licuit, sed quia pro tempore & loco fieri non debuit aut potuit, factum fuit: sed nec res ipsa exigebat, vt occultus in sacrario lateret, qui seipsum manifestum oculis intuentium exhibebat.

592. Apostolos non asseruasse, sed manducasse duntaxat, & dispensasse Eucharistiam. Ego verò & adorasse & ostentasse, & asseruasse, & solenni ritu circumgestasse dixero, donec Kementius aliquis vel Heshusius, contrarium ex Apostolis vel eorum probauerit scripturis: An enim, quia non legimus scriptum,
fatis

fatis putabimus probatum? Quod si scriptum non est asseruasse, scriptum quoque non est, eos non asseruasse, cur ergo negatur unum, affirmatur alterum? Sanè quidem, qui consecuti sunt Apostolos, viri probatissimi, eam nequaquam asseruassent, nisi asseruatam & asseruandam esse, ab Apostolis accepissent.

593. In primitiua Ecclesia, Eucharistiam non fuisse asseruatam. *Kemnit. in toto tit. de Asseruat.* Cum paulò antè in tit. de Excellentia Sacram. pag. 87. imò hoc ipso loco, vltro fateatur tempore Iustini, Cypriani, Basilij, & aliorum veterum, in cistulis, & orariis fuisse asseruatam, ac publicè ostensam. Sed & Calvin. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 39. fatetur, Eos qui Sacramentum asseruant, habere veteris Ecclesiæ exemplum, eo tamen non obstante, asseruandam non esse. Quomodo ergo in primitiua Ecclesia non fuit asseruata?

594. Non mouere nos debere, quid alij ante nos fecerint, sed quid Christus fecerit ante omnes. *Kemnit.* At si mouere nos non debet, quid alij fecerint antè nos viri Apostolici, orthodoxi, & Catholici, multo minùs mouere nos debet, quid faciant Kemnitij, Heshusij, Caluini vel Lutheri, cum illis nullo interuallo comparandi? An quid Christus & Apostoli fecerint tradiderint. què non magis certiusque scire potuerunt, qui Apostolos consecuti fuerunt, viri Apostolici, quàm qui post nos venerunt Lutherani vel Calviniani? An scripturas Apostolorum non habuerunt Apostolorum discipuli? an non legerunt? an non examinauerunt? an non intellexerunt? An contrà traditiones & scripturas Apostolorum manifestas & notorias idolomanias inuenerunt?

595. Iuxta scripturas, non iuxta scripturarum hac in parte iudicandum esse interpretes, cum non hi, sed illæ fixa firmaque sint regula & norma fidei & veritatis. Egregiè: scripturarum Interpretes nolunt, & se ipsos interpretes constituunt? Si autem nullis standum est interpretibus, cur ipsis? cur non aliis? cur tibi? cur non mihi? cur non cuiuis alteri?

596. Scripturam, sui ipsius esse tutissimum interpretem.

Millesexcenti Errores,

Sic aiunt, qui præter se alium admittunt vel quærunt interpretem nullum; Si enim ipsa sibi sufficiens interpret esset scriptura, interpretatione haud indigeret. Quin de hoc vel vno articulo omnis omnium versatur quæstio, quis inter omnes scripturarum interpretes, verã & genuinam scripturarum habeat interpretationem, quàm quidem quæstionem si dissolueris, omnes de religione quæstiones absolueris.

597. Morem asseruandæ Eucharistiæ olim non fuisse vniuersalem. *Kemnit.* Diligenter lege & relege hoc loco Kemnitium, aliud ex omnibus quæ adducit veterum testimoniis non deprehendes, quàm apud omnes fuisse, vbi esse potuit, vniuersalè: Neq; enim ideò vniuersalis non est, quia vbiq; non est, cum nec modo sit, nec vnquam fuerit, vbi esse non potuit. Vniuersalis ergo fuit, tamen si idem asseruationis modus & ritus non semper & vbiq; fuerit, quod ad rem parũ confert. Cum de ipsa extra vsum asseruatione, non de modo vel ritu asseruationis Sacramenti sit quæstio.

598. Non fuisse apud veteres eiusmodi theatricam pompam asseruationis & circumgestationis Sacramenti, qualis in regno Pontificio cernitur. Quid inde? Num ideò non fuit asseruata Eucharistia, quia eodem modo, eodemq; ritu non fuit asseruata? An minus veterum quàm recentiorum asseruatio, vanã illorum falsamq; opinionem refutat, qui Sacramentum extra vsum nullam habere rationẽ Sacramenti autumant? Et si modernorum Pontificiorum modus ritusq; displicet, cur veterum non obseruant? Religiosum est autem, vt si asseruari potest & debet, quo potest decentissimo modo asseruetur & habeatur.

599. Veteres legitimas habuisse asseruandæ Eucharistiæ causas, ne scilicet infirmitate detenti, vel aliis in periculis constituti, sine viatico corporis Domini à vita migrarent, cum ad Ecclesiam ipsi accedere non possent. *Kemnit.* Quasi eadem causæ, eademq; hoc tempore non sint incommoda & pericula? Sed nec ad eos solum, qui ipsi ad Cœtum, & Communionem in Ecclesiam venire non poterant, sed etiam ad hospites & peregrinos, qui venire

venire poterant, Eucharistiam fuisse transmissam, vel ipso constat recitante Kemnitio: An ergo veteres censuerunt, Sacramentum non esse extra usum?

600. Non esse necessarium, ad infirmos Eucharistiam deferre, cum apud ipsos Minister commodè possit consecrare. Ab illis putà, qui & veterum & recentiorum ordinem & ritum omnem perturbant, veteres enim apud infirmos non consecrassent, sed ex Ecclesia ad eos derulisse vel misisse, nec inficiatur, nec inficiari potest Calvinus, Lutherus, vel Kemnitius.

601. Quòd olim Eucharistia ad ægrotos, vel etiam ad hospites & peregrinos fuerit delata, nihil patrocinari Pontificiis de asseruatione, eò quòd ad alium usum non deferbatur, quàm ad esum, propter quem à Christo fuit instituta. *Kemn.* Quasi alium in usum finaliter, à Pontificiis asseruetur, deferatur, vel circumgestetur, quàm ad esum, propter quem & asseruatur, & honorificè deportatur & circumgestatur? Quicquid autem sit (vt dictum est) de modo, rituq; vel veterum, vel recentiorum, delatio ipsa euidenter probat, vanam & falsam esse illam Kemnitij regulam, Sacramentum extrà usum non habere rationem Sacramenti, Nisi enim veram rationem Sacramenti habere veteres censuissent, eam utiq; nec ad infirmos, nec ad hospites, nec ad alios transmississent vel derulissent.

602. Non esse attendendam veterum qualemcunq; consuetudinem, sed Christi actionem & institutionem, Christum enim non dixisse, *Ego sum consuetudo*; sed, *Ego sum veritas*. Sed si *Ioan. 14. Matth. 18. 25. Deut. 17.* Christus est veritas, seruanda sunt ergò, quæ tradit Ecclesia, & illi, qui sedent supra Cathedram Moylis, hoc enim ipse, qui veritas est Christus, dixit, iussit, mandauit. Sed nec aliud est consuetudo à tota recepta & approbata Ecclesia, quàm ipsissima veritas, quam utiq; nunquam recepisset, approbasset, vel tradidisset, si cum veritate pugnaret.

603. Omnes Patres hanc verissimam firmissimamq; tradere regulam, veritatem præferendam esse consuetudini. *Kem.* Quasi quisquam

Millesexcenti Errores,

3^o Tim. 3^o

quisquam contradicat Pontificius? Id tamen de consuetudine cum veritate pugnante, non quæ à tota recepta & approbata est Ecclesia, quæ & ipsa Columna & fundamentum est veritatis, accipiendum & intelligendum esse, vna quoq; est omnium Patrum & Orthodoxorum sententia, quam qui negat sensu caret, bellum Deo infert, & cum ratione pugnat.

604. Cyprianum, in hac ipsa de Sacramento quæstione, scribere, Non esse attendendum, quid alij ante nos fecerint, sed quid Christus fecerit ante omnes. *Kenn.* Cum eodem ipso loco notet, à Cypriano Eucharistiam in Cistulis fuisse asseruatam, an idem Cyprianus non attendit, quod Christus fecit? & ipsam, quam cæteris præscripsit, primus non seruauit regulam? Sup.

605. Omnes Patres, damnare consuetudinem, probare & præferre veritatem. *Kenn.* Quasi quisquam sit, damnatam qui probet, aut probatam damnet? Aut vllus vnquam consuetudinē probatam damnarit, si enim ab omnibus probata, obseruata & tradita, quomodo damnata? Et quis Patrum, consuetudinem seruandæ Eucharistiæ damnauit? imò non approbauit? obseruauit? posterisq; post se reliquit & commendauit?

606. Non defuisse ex veteribus, qui morem asseruandæ Eucharistiæ, ex verbo Dei reprehenderint, vt Humbertus referente Cassandro. *Kennit.* Sed ipsum Humbertum *Kennitius* non nisi in ipso legit, quomocunq; Catholico Cassandro. Et quid si aliqui tunc fuissent, sicut modo sunt, qui reprehendissent? an tota reprehendit, vel præferenda non est Ecclesia? quæ non solum asseruationem publicam non reprehendit, sed reprehendentes damnauit? Veteres verò priuatam & domesticam, non publicam pro infirmis aut aliis necessitatibus institutam & introductam consuetudinem, reprehenderunt, improbarunt & abrogarunt, quæ etiamnum improbat. Inf.

607. Consuetudinem asseruandæ Eucharistiæ, publicis Conciliorum cōstitutionibus fuisse improbatam & abrogatam. *Kennit.* Cum ad hanc vsq; diem in Ecclesia vniuersa constet obseruatam, & obseruandam publicis Conciliorum cōstitutionibus

nibus traditam. Priuatam ergo & domesticam, non publicam Eucharistiæ aſſeruationem, improbârunt Concilia quædam & abrogârunt.

608. Concilium Toletanum I. Can. 4. & Cæſar. Auguſt. Can. 3. prohibere aſſeruationem Eucharistiæ. *Kemnit.* Proſus à veritate alienum; Neque enim prohibent aſſeruationem publicam in Eccleſiis, ſed priuatam in domibus, idq; ad præcauenda & tollenda ſacrilegia, & veneficia, quæ occasione illius domesticæ aſſeruationis accidebant, quod etiamnum prohibetur. Vnde eadem neceſſitas, quæ quondam mouit Eccleſiam primitiuam, vt nondum conſtitutis Eccleſiis, domum deferendam & aſſeruandam Eucharistiã hominibus permetteret, quam imminente perſecutionis periculo in promptu haberent & ſumerent, etiam mouit, vt conſtitutis vbique baſilicis & oratoriis publicis, ſublatisq; publicis perſecutionum periculis, denuò abrogaret, ac non niſi in Eccleſiis, publicisq; oratoriis & ſacrariis aſſeruati permetteret.

609. Conſuetudinem aſſeruationis nunquam fuiſſe Catholicam & vniuerſalem. Cum eam vbiuis terrarum apud Catholicos, à quibus Auguſtina Confeſſione ſecefſionem fecerunt, vniuerſalem repperint: Aut ergo nullos ante Lutherum Catholicos, aut conſuetudinem illam Catholicam fuiſſe & eſſe fateantur neceſſe eſt.

610. Conſuetudinem illam Catholicam eſſe non poſſe, quam nec Chriſtus, Eccleſiæ verè Catholicæ Caput & fundator, nec Apoſtoli & Prophetæ Eccleſiæ primi & præcipui duces, paſtores & propagatores obſeruarunt aut tradiderunt. Quæ vanitas? Si enim à Chriſto inſtituta eſſet, non conſuetudo Eccleſiæ, ſed lex & conſtitutio eſſet Chriſti, à quo lex, non conſuetudo ſuam trahit originem, quæ tamen & ipſa, ſi approbata ſit, ab Eccleſia pro lege habenda eſt. Ab Apoſtolis verò & Apoſtolicis viris originem & approbationem habere, ipſa totius Eccleſiæ & omnium teſtatur traditio.

*L. de quibus: ad
de ll. ſeq. ff. de il.
Vlp. l. 2. ff. de
Conſtit. Princip.
Auguſt.*

611. Conſuetudinem dictam eſſe contrà legem & inſtitutionem

Millessexcenti Errores,

onem Christi. Scilicet, Consuetudinem qualemcunq; Ecclesia Christi reciperet, approbaret, obseruaret, traderet, & definirat, si contra Christi legem esset? supr.

612. Eucharistiam non fuisse olim asseruatam cum ea superstitione, qua modo asseruatur. Verum ad causam Pontificiorum sufficit, quod asseruata fuerit, ex hac enim qualicunq; asseruatione, permanentia Sacramenti extra vsu euidenter & irrefragabiliter comprobatur.

613. Antiquitus, non alium in finem & vsu Eucharistiæ fuisse asseruatam, quam ad esum. Ridiculum: si enim ad esum fuit asseruata, non ergo in solo esu, vel vsu, vel actione, sed etiam in asseruatione consistit ratio Sacramenti?

Epist. 2.

614. Clementem Romanum, quando ait, Presbyteros, Diaconos, & Ministros, cum timore & tremore debere reliquias Corporis Dominici asseruare, non aliud intelligere, quam ipsos eas cum timore debere absumere. *Kemnitius. pag. 105.* Cum expresse dicat, eos diligenter debere custodire, ne qua putredo in sacrario inueniatur, aut portioni corporis Domini iniuria irrogetur. An sacrarium vel reliquias Sacramenti in sacrario habent aduersarij?

615. Rursum. Clementem aiunt loqui, non de asseruatione, sed absorptione reliquiarum Sacramenti. An ergo non censuit Clemens, corpus Dominicum in reliquiis esse extra vsu? si enim corpus non esse censuit, cur cum timore & tremore Presbyteros absumere iussit? Num absumentur eiusmodi reliquie vel particule, quæ post communionem populi relinquuntur, à Ministris Lutheranorum? & non magis vt prophanae habentur & atheæ? Sed & Clemens non de reliquiis seu particulis, quæ pro infirmis asseruantur, sed de minoribus illis loquitur, quæ post communionem populi remanebant, quæ à Ministris, (sicut etiamnum fit) ne qua iniuria corpori Dominico inferretur, absorbentur. Vt videas, Veteres nequaquam credidisse vel docuisse, corpus Christi, tantum esse in Actione, sed etiam in pane, nec tantum in pane, sed in qualibet eius particula minutissima; nec

nec tantum in usu & esu, sed etiam extra usum; neque enim cum timore & tremore absumere iussissent, si corpus inesse non credidissent. Quæ omnia errorem aduersariorum & ostendunt, & refellunt.

616. Hesichium scribere, morem fuisse apud veteres, ut si quid ex Sacramento superesset, combureretur, non asseruaretur. *Kemnit.* An ergo hinc non liquet, veteres censuisse, Sacramentum veram habere rationem Sacramenti, etiam extra usum? cur enim alioquin comburi, & non magis mandassent pauperibus erogari? vel more Calvinistarum & Confessionistarum, muribus, canibus, vel quibuscunq; obicere & relinquere aliis?

*Lib. 2. in Leuit.
cap. 8.*

617. Rursum. Hesichium (aiunt) voluisse non asseruandas, sed comburendas esse, reliquias Sacramenti. Cum ipsi nec asseruent, nec comburant. Et Hesichius eodem loco, id quomodo intelligat, sese explicet, ait enim, non prohiberi asseruationem ad vnum, duos, vel plures dies, quando ne corrumpatur, periculum subit nullum, sed tunc duntaxat comburendum esse, quando species ob diurnitatem temporis, vel aliam ob causam mädicatione absumi nequeunt, Id quod etiam cautum fuit, in Concilio Aurelianensi, ut species corruptæ comburantur; Nec modo fieri prohibetur. Nisi autem extra usum, corpus in reliquiis verè esset, nec absumere, nec asseruare, nec comburere veteres iussissent.

618. Veteres adè non censuisse, Sacramentum hoc esse asseruandū, ut pueris absumendas potius præbere, quàm asseruare voluerint particulas, quæ post communionem populi superabant. *Kemnit.* Miror, si rectè sequatur, nullas veteres particulas pro infirmis & hospitibus asseruasse, quia particulas quasdam pueris absumendas præbebant? Cum (ut ipse hoc eodem refert *Kemnitius* loco) Eucharistiam per pueros infirmis, transmittere consueverint? Sed & hanc eandem puerorum, quemadmodum & Græcorum de præsanctificatis communionem,

S 2 repræ.

Millesexcenti Errores,

reprehendit Kemnitius. Adeò nempè certum & verum est, (quod certum & verum esse putant) veteres censuisse, Sacramentum extra usum non habere rationem Sacramenti, vt non tam Græcam, quàm totam Ecclesiam Asiaticam, & primitiuam in hoc ipso asserendo errasse dicant.

In Can. Miss.
lect. 26.

619. Gabrielem (ex sententia Paschasij) docere, Sacramentum hoc asseruari minimè debere, ait enim, *Postquam corpus suum Dominus consecrauit, non sistingebat in consecratione, neq. dedit discipulis suis, vt ipsum honorificè conseruarent, sed dedit in sui usum, dicens, Accipite & manducate, &c.* Kemn. Cum in hoc ipso libro, Gabriel, acerrimè defendat, totum Canonem, Missæ adorationem, Ostensionem & transubstantiationem Sacramenti, tres item sermones de ipso Festo Corporis Christi, & Circumgestatione tolemni Sacramenti conscripserit. Loco verò citato, aliud non vult Gabriel, quàm primarium & principalem usum & finem institutionis Eucharistiæ, non esse asseruationem aut circumgestationem, sed manducationem; Nec populo distribui & ministrari vt honorificè asseruent, sed vt pro salute animæ manducent, id quod & Pontificij docent, & faciunt.

619. Canones Concilij Niceni, non tantè esse auctoritatis & certitudinis, vt ex iis asseruatio Sacramenti certò probari possit aut debeat, aliquos enim de illis dubitasse. Kemnit. Sed si de hoc dubitandum est, quia aliqui, iiq. pauci dubitarunt, de articulo nullo, certi aliquid asserendum erit vel definiendum, cum sit nullus, de quo non dubitarint aliqui? At cur magis dubitandum cum paucis, quàm non dubitandum cum reliquis omnibus? An, quid in dubio relinquendum, quidue certo asserendum & obseruandum, Ecclesiaquæ Spiritu Dei regitur, non cognouit? Pontificiis verò sufficit, Canones illos ab antiquissimis quibusuis auctoribus tanquam authenticos citari, nec vel hos, vel Asseruationem Sacramenti ab vllò vnquam Concilio in dubiū fuisse vocaram, vel damnatam.

Idem. 14.

620. Iterum. Eucharistiā (aiunt) olim nō fuisse asseruatam. Cum vltro fateantur, & fateri scriptis omnium antiquorum cogantur,

gantur, absentibus, peregrinis & hospitibus fuisse transmissam, quorum exempla non pauca ipse ex Iustino, Irenæo, & aliis refert Kemnitijs.

621. Peregrinis & hospitibus Eucharistiã non fuisse transmissam, nisi ex Cœtu Ecclesiastico, non vrasseruarent, aut circumgestarent, sed vt manducarent. *Kemnit.* Esto: An inde non sequitur, veteres censuisse Sacramentum esse extra vsum? nec tantum in actione; hoc est, distributione & manducatione, sed etiam in transmissione? Neque ad rem quicquam confert ex Cœtu ne transmissa fuerit Ecclesiastico, an verò ex sacrario, in quo (vt supra ex Clem. annotatum est) particula custodiebantur, nisi enim extra vsum esset, nec ex Cœtu quidem transmitti vel deferri posset. Et quid opuserat ad eos mittere, cum ipsi, vt modo fit, ad Ecclesiam possent accedere?

622. Rursum. Eucharistiã (inquiunt) non fuisse in primitiua Ecclesia asseruatam. Cum ipse ex Chrysostomo testimonium adducat Kemnitijs, eius tempore, milites quosdam sub vesperam ingressos sacrarium, effudisse sanguinem: Quomodo effuderunt sanguinem, si sanguis nec in sacrario fuerat, nec in vino effuso?

Epist. 1. ad Ioh. nocent.

623. Chrysostomum loc. citat. per Vesperam illam, intelligere tempus celebrationis & administrationis Cœnæ & Eucharistiæ. *Kemnit.* Atqui, vllam vllò tempore Missam, sub vesperam fuisse celebratam, nullæ tradunt hystoriæ Ecclesiast. Hinc Augustinus Apostolicam esse inquit traditionem, vt Eucharistia à ieiunijs antè cibos sumatur alios. Idem Tertull. ad vxor. Sed demus aduersarijs, effusionem illam quomodocunque & quandocunque factam, An non ex illa euidenter conuincuntur, sanguinem non solum esse in Actione, vel sumptione, sed etiam in sacrario & effusione? quæro enim, An effusus aliquando sit, effudiuè possit sanguis, apud ipsos? Si enim effundi potest, extra vsum esse necesse est. Liquet, quantum abutantur & ludant Patrum testimonijs, & quam temerè rideant periculum effusionis.

Epist. 119

Millesexcenti Errores,

624. Deniq; non fuisse, inquit, apud veteres Eucharistiam asseruatam, cum Ambr. fratrem suum Satyr. collo appellationem asseruasse, ac in periculo naufragij sumpsisse scribat; In orat. funebr. de obitu fratris sui Satyri.

625. Priuatam illam veterum asseruationem, non fuisse vniuersalem, nec ab omnibus approbatam, atq; ideo à Con. Tollet. abrogatam. *Kem.* Cum nullus eorum omnium, quos vel ipse allegat & deprauat Kemnitius, eam improbarit. Quod si successu temporis abrogata fuit, non ideo abrogata fuit, quasi asseruari non potuerit, aut debuerit, sed quod causa illius priuatæ & domesticæ asseruationis cessauerit, atq; in abusum & sacrilegium conuerti Sacramentum cœperit, vt supr. Abusus ergo, non vsus asseruationis, damnatus & improbatus fuit, sicut etiam nunc datur & improbatur.

626. Causam abrogatæ asseruationis, absque dubio aliam non subfuisse, quàm quod nec à Christo instituta, nec ab Apostolis tradita, nec sacris literis esset consentanea. *Kemnit.* Absque omni dubio scilicet, quis enim Superintendenti verbi Domini Kemnitio non credat? At obsecro, proferat vel vnum, qui publicam improbarit, vel abrogarit asseruationem? Et si quis etiam Kemnitius vel quiuis alius aliquando improbasset, vel improbareret, an ne omnium aliorum orthodoxorum, atque adeo Ecclesiæ totius approbatio præponderaret?

627. Olim rectè, & conuenienter potuisse Eucharist. asseruari, quod quotidiana non essent Missæ, vel Conuentus Cœnæ, in quibus quoties vellent, fideles communicare possent. *Kemnit.* Hoc à vero esse quàm alienissimum ipsorum demonstrant veterum Lyturgiæ, quotidianæ Missæ, & Communiones. Et Augustini quidem tempore, vt plurimum quotidie, aut singulis communicasse diebus Dominicis fideles ex ipso est manifestum. Sed demus quotidie nec Missas fuisse celebratas, nec Cœnas, An (vt sepe) ex ipsa quamcunq; ob causam permissa asseruatione priuata euidenter non colligitur, Sacramentum etiam extra vsus & actionem, rationem habere Sacramenti? An hoc ad causam sufficit?

628. Ve-

*Aug. epist. 118.
ad Ianuari. De
Eccles. dogm.
cap. 13.*

628. Veteres non asseruasse Eucharistiam, vt eam vel honorarent, vel pomposè circumgestarent, & cum ea luderent, sicut Pontificij, sed vt ingruente persecutione, & necessitate in promptu haberent, quam manducarent. Quasi aliam præcipuè ob causam, quam propter necessitatem infirmorum, & gratiarum actionem sanorum, asseruetur à Pontificiis? Quin & ipsa tolen- nis Eucharistiæ circumgestatio (quæ commemoratio quædam est diei institutionis ipsius, cum laude & gratiarum actione popu- li, venerationeq; tanti Sacramenti) alium in finem non dirigi- tur, quam vt populus ad frequentiore[m] eiusdem, & dignam sumptionem accendatur & incitetur, nec in eo sibi consistendū fideles putent, quod Sacramentum in Ecclesia habeant, videāt, & adorent, sed vt manducent.

629. Veteres non obseruasse morem illam, tanquam ne- cessarium. *Kemnit. pag. 109.* An ergò necessarium non duxerunt vt infirmi, qui ad Cœtum & Cœnam, infirmitate præpediente venire non poterant, communionem & viatico corporis & sanguinis Christi munirentur? Et cur tam sollicitè monent, mandantq; vt cum timore & tremore reliquæ fragmentorū Dñici corporis custodiantur, ne qua iniuria portioni Dominici corpo- ris irrogetur? An hoc necessarium non esse iudicarunt? Vt verò vnicuiq; priuatim asseruanda permittatur Eucharistia (sicut a- liquando iustas ob causas permisa fuit) id neq; veteres, neq; re- centiores tãquam necessarium iudicarunt, atq; ided abrogarunt.

630. Non aliam fuisse antiquitus asseruandæ Eucharistiæ consuetudinem, quam quod in Missa particulae aliquæ pro infir- mis consecrarentur, & relinquerentur, quæ nullis sese offerenti- bus infirmis, ab ipso Ministro sumebantur, non seruabantur. *Kemnitius pag. 109.* Cum paulò antè (immemor sui) ex veteribus planè contrarium annotarit, noctu videlicet Serapioni per puerum Eucharistiam transmissam? pro hospitibus & pere- grinis asseruatam, ac particulas remanentes non à Ministris, sed à pueris fuisse absumptas, vel combustas. Et quid si infir- mus post Missam (vt fit plerumque) noctuque sit commu- nicandus,

Millesexcenti Errores,

nicandus, nulla verò post Missam pro illo residua reliqua que sit hostia? an denuò dicenda Missa? In Missa siquidem, non apud infirmos, antiquitus particulas pro infirmis fuisse consecratas ipsi fatentur? Sicut ergo etiamnum fit apud Pontificios, ut particulae aliquae in Missa pro infirmis, siue tunc, siue quacumque alia hora occurrentibus, consecrentur, & asseruentur, ita tunc quoque factum esse minimè est dubium. Et si morem alium veteres obseruassent, alium posteritati post se reliquissent, cum tamen aliam Ecclesia nec acceperit, nec tradiderit.

631. Ex omnibus iis, quae commemorata sunt, certum, indubium & manifestum esse, Asseruationem Pontificiam, nec apud veteres quidem, fuisse in usu. *Kemm.* Egregiè sane: Omnium propemodum veterum testimonia, quae produxit, id habent & testantur, quod particulae non tam priuatim, quam publicè asseruatae, nec tantùm ad infirmos, sed etiam ad hospites, peregrinos, & haeremitas transmissae, in sacriariis, cistulis, & oratoriis diligenter custoditae, à pueris absumptae, vel corruptionis alicuius periculo interueniente fuerint combustae, Et tamen ex omnibus istis (ait) certum, indubium & manifestum esse, Eucharistiam non fuisse asseruatam apud veteres? An deliramus? vel cæci planè sumus?

632. Ex omnibus iis, quae commemorata sunt, non euinci, Sacramentum extra usum veram habere rationem Sacramenti. At cæcis nec Solem quidem splendescere persuaderi potest, num idè non splendet? atqui sanè clarius est illud, quàm solem lucere.

AUDIAMVS VERO ET ADDA-
mus etiam Antitheses Kemnityj.

633. Veterum causas asseruatae apud eos Eucharistiae modernos non habere Pontificios. *Kemnit.* Vide quàm sit verum, quod iam iam dixerat, certum & manifestum esse, apud veteres asseruationem non fuisse in usu, ut eam ipsam iam ex antithesi asseruati-

asseruationi Pontificiæ opponat? An causas habuerunt, & non habuerunt? Sed siue habeant, siue non habeant Pontificij causas easdem, ad causam eorum sufficit, quod veteres, quascunq; etiã ob causas Eucharistiam siue priuatim, siue publicè asseruarint, eamq; post usum & actionem Cœnæ ad Infirmos, hospites, peregrinos & alios, transmiserint, reliquias cum timore & tremore in sacriis & orariis asseruarint, vel, ne qua iniuria Dominico fieret Sacramento, pueris absundas tradiderint: hæc autem omnia (siquidem sensu constamus) probant, omnes ad vnum censuisse veteres, Sacramentum hoc non tantum in usu, Esu, Actione, vel Actionibus, sed etiam extra usum & Actionem, veram habere rationem Sacramenti, de quo tota inter nos questio Pontificios verò easdem habere cum veteribus asseruationis causas, Infirmi sunt argumento, qui nondum conualuerunt, sed perseverant adhuc, propter hos verò & veteres Eucharistiam asseruabant, & asseruant recentiores, & asseruabunt posteriores.

634. 2. Veteres (inquit Kemnitius) Eucharistiam tantummodo asseruabant pro infirmis in extremo constitutis agone, Pontificij verò omnes ex reseruatibus indifferenter communicant. Vtrumque à veritate deuiat, neque enim nunc datur, neque tunc dabatur, nisi iis, qui propter infirmitatem, aut aliam necessitatem ad Ecclesiam ipsi venire non poterant, aut possunt. Sed quid ad hospites & peregrinos ad quos non minus quàm ad infirmos, mittebunt veteres, ad quos tamen non mittunt recentiores? Denique quid ad rem & quæstionem? Neque enim ad rem confert, vtrum in agone vel extra agonem constitutis transmittenda sit Eucharistia, sed an transmitti possit? Si enim (vt volunt) extra usum Sacramentum non est, quomodo infirmis vel non infirmis transmitti potest? Si autem potest, vanum ergo & falsum, & minimè firmum, verum & certum est illud axioma Kemnitij, & omnium Lutheranorum, Sacramentum extra usum non habere rationem Sacramenti.

635. 3. Veteres (ait Kemnitius) Eucharistiam asseruabant,

T

Millesexcenti Errores,

bant, pro illis duntaxat diebus & horis, quando publicè non celebrabatur Eucharistia: Pontificij verò cum quotidie Missas celebrent, tamen non nisi ex celebratione aliqua solenni particulas reseruant pro infirmis. Ad rem & causam nihil: Ex quacumq; enim causa, vel Missa, eam reseruarint, eo ipso quia asseruarunt Eucharistiam, non tantùm in vsu & actione, sed etiam extra vsu & actionem, veram habere rationem Sacramenti, testatum, & contra aduersarios probatum reliquerunt, sed quoniam Missas opponunt quotidianas, Placet ergò vt ex quotidianis referrentur Missis? An non rectius ex illis, quam ex istis? cum nec istis infirmi, nec interesse possint illis? nec minùs in istis (vbi necessitas postulat) quàm consecrentur & reseruentur in illis? Cum interim ipsi, nec illas probent aut habeant, nec istas; nec ex illis, pro infirmis quicquam reseruent, nec ex istis? Et tamen veterum Missas & particulas ex antithesi opponunt? An vel ex hoc ipso liquet, ipsos nec cum veteribus, nec consentire in fide & religione, cum Christianis modernis?

636. 4. Veterum asseruationem, sine superstitione & peculiari cultu, extra vsu simpliciter fuisse vsurpatam, Non sic fieri à Pontificiis. *Kemnit.* At quid, si eo omninò modo, cultuq; simplici seruare velint, sicut veteres? an probabant? minimè: & tamen opponunt. Cur cayillantur & calumniantur? siue. n. hoc, siue illo, siue quoq; alio modo rituq; Sacramentum asserues, Sacramentum extra vsu veram habere rationem Sacramenti, eo ipso probas. Quapropter rectius & breuius vnoque dicerent, (vt dicunt) verbo, Omnes ad vnum, tam veteres quàm modernos in asseruatione Eucharistiae errare Pontificios, Cum nec horum, nec illorum simplicem vel solennem, priuatam vel publicam probent asseruationem, vel Missam, atque idè nec simpliciter, nec solenniter, nec priuatim, nec publicè, nec pro sanis, nec pro insanis, Eucharistiam suam panariam & atheam asseruant, quia nempè vbique panem, & vbique (id est nullibi) reperiunt Christum præsentem. De vbiuitate vero alibi.

637.

Innocentium tertium mandasse, vt Eucharistia, sub custodia,

custodia, adhibitis clauibus & seris in Ecclesia custodiatur. Rectè: ne prophanatoribus sacrilegis & furibus aditus pateat, aut, (vt Clemens loquitur) portioni Dominici corporis iniuria introgetur.

Epist. 2.

638. Deum esse in Cœlo, non in sacrario, nec includi vel excludi clauibus vel seris. Sed si Deus solum est in Cœlo, Deus ergo non erit in Sacramento, si autem esse potest in Sacramento, cur Sacramentum non potest esse in Sacrario; Imò si opinione eorum Christus est vbique, quomodo non est in sacrario? quomodo non in ipsis, quibus sacrarium recluditur seris & clauibus, & ipsius referantis manibus & vnguibus?

639. Honorium, & alios Pontifices, statuisse, vt quando Eucharistia ad infirmos deportatur, plebs se reuerenter inclinet, & Sacramento honorem exhibeat; addidisse quosdam alios luminaria, campanulas, indulgentias, &c. Omnia rectè, quia omnia ad honorem & gloriam Dei, & ædificationem populi Christiani. Dignum quippè & iustum est, vt Christo, vbicumque est, debitus exhibeatur honor & cultus, ei que omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum, Phil. 2. de quo rectè rudis instruitur populus.

640. 5. Varias, & inextricabiles quæstiones motas fuisse & moueri, occasione illarum particularum reseruarum, quæ si negentur, esse consecrata, omnes præcaueri & præcidi. Sane: si rem ipsam neges, multas de modo rei quæstiones præcides: Nega corpus esse in Sacramento, & multo plures solueris quæstiones: Nega Christum esse Deum, & infinitis tecum Arianis & Saracenis extricabis quæstionibus: propter tuum autem negare vel affirmare nihil mutabis in Deo, eiusque verbo vel Sacramento; si autem negari possent, quæstiones illæ nec motæ quidem aliquando fuissent.

641. 6. Eo vsque succreuisse superstitionem Pontificiorum, vt etiam defunctis quondam Eucharistiam dederint. Kemnitius. Miror: mortui quomodo acceperint? Sed ecce iam reprehendit veteres, quod defunctis præbuerint Eucharistiam, quos

Millesexcenti Errores,

quos tamen tanquam rectius de Eucharistia sentientes ubique ex
antithesi Pontificis opponit: Num ergo rectius moderni Pon-
tificij, qui nec more veterum defunctis, nec more Hussitarum
Eucharistiam præbent paruulis? Defunctis nihilominus aliquã-
do datam fuisse Eucharistiam minimè verum arbitror, neque e-
nim mortuis, sed morituris, (quos mortuorum nomine quidam
appellant) dabatur. Sed demus mortuis datam, An ex eo non
euincitur pro mortuis fuisse asseruatam? Sacramentumq; extra
manducationem verè esse Sacramentum, cum vtrique mortui
Sacramentum edere non possint?

642. 7. In Papatu vnã solam panis asseruari speciem,
cum manifestum sit & constet, apud veteres etiam speciem vini
fuisse asseruatam, scribit enim Chrysof. quodam loco, Milites
ingressos Sacrarium sanguinem effudisse, vt supr. Hæc & simi-
lia cauillantur, Cum interim nec vnã, nec vtramque asseruari
posse, speciem contendant, eò quòd extra vsum nec corpus in
pane, nec Christi sanguinem esse credant in calice. Quid ergo
si more veterum, vtramq; seruent Pontificij speciem? num pro-
babunt? minimè: cur ergo opponunt?

643. 8. Fingi & defendi in Papatu, consecrationem nõ
fieri, si accèdat verbum ad elementum, nisi etiam in templis fiat
& altaribus. Sanè: Ecclesiastica Consuetudo habet, vt in aris,
non in hæræis, in templis, non in stabulis & horreis Dominici cor-
poris fiat consecratio, & dispensatio: Aliorum verò omnium or-
dinationes & Consecrationes, vt prophanae sunt, ita parum re-
fert, quo loco, quòue decenti ritu fiant: Aliud tamen ad essenti-
am & substantiam Sacramenti, præter materiam, formam, & le-
gitimum Ministrum Pontificij nil requirunt.

644. 9. Veteres, quando cunque & vbi cunque neces-
tas exigeret, Eucharistiam consecrassent & ministrassent, Pontificios
extra missam consecrationem nullam admittere. Inauditum,
tam apud veteres, quàm apud modernos, extra Missam, nisi sin-
gularis aliqua & inuitabilis cogeret necessitas, Eucharistiam fu-
isse consecratam, vt velex iis ipsis, quæ ex veteribus exempla &
testimonia adducit Kemn. videre licet.

645. Pontificios non aliam ob causam, tantoperè dimicare pro asseruatione Sacramenti, quàm vt ea ratione circumgestationem & ostentationem ipsius stabiliant. Cum vice versa, circumgestationem tantoperè incessant ipsi, vt ea ratione, contra omnem omnium veterum doctrinam, fidem & traditionem asseruationem è medio tollant. Circumgestatio verò nec addit, nec adimit asseruationi quicquam, Cum priusquam Circumgestatio solennis instituta esset, semper vbique Eucharistiam, reuerenter asseruatam fuisse constet.

646. In Papatu, longò longius recessum esse in asseruatione Sacramenti, ab exemplo & consuetudine antiquitatis, ac multos abusus, multasque opiniones & superstitiones assutas esse. Vaniloquium: Seponamus enim quos putant, aut vocant abusus, num simplicem asseruationis probabunt usum? minimè. Ita videlicet, de nescio quibus abusibus querulantur, vt cum abusu ipsum è medio tollant usum: Et Pontificios quidem traditionum & institutionum Maiorum seruantissimos, ab institutis Maiorum recessisse, dicere non verentur, cum interim ipsos quoque Maiores ab institutis recessisse Apostolorum identidem vociferentur. Qui autem ab institutis Maiorum suorum, & totius discesserint Ecclesiæ Catholicæ, ipsa secessionis auctrix Confessio testis est Augustana.

647. Simplicissimum, rectissimum, & tutissimum esse, vt res hæc tota, ad normam institutionis Christi exigatur, idque obseruetur, quod propius accedit ad præscriptum institutionis, & ædificationem Ecclesiæ. *Kemnie.* Quasi id totum, ab omnibus hæcenus Patribus, Conciliis, & Theologis diligentissima scripturarum & traditionum Apostolicarum disquisitione factum non fuerit? Cur non acquiescunt? cur aliam quærunt? An Ecclesiæ non considerauit hæcenus, quid esset è re & vtilitate Ecclesiæ? Et quidem institutionem Christi hac in re non esse seruandam, verbosè contendit Lutherus Tom. 2. cont. Cælest. Proph.

648. Verba illa, *Accipite & manducate, &c.* non ad elementa consecranda, sed ad præsentem dirigunt homines, proinde nisi ad-

Millesexcenti Errores,

sint, qui audiant verba, & accipiant elementa, nullam fieri consecrationem. Sed quid, si nec praesentes quidem audiant? num ideo elementa non consecrabuntur? Et quæro, cum de pane dicitur, *Hoc est corpus meum*, an hæc verba ad elementum panis, an verò ad astantes dicantur homines? Et infirmi quidem, qui nec praesentes, sunt, nec verba audiunt, vel intelligunt, an consecratum non percipiunt Sacramentum?

649. Infirmos non posse consolationem ex communione Sacramenti percipere, nisi verba institutionis & promissionis audiant & intelligant. *Kemnit.* Quæ vanè? Cum infirmi plerumq; nec audiant quidem, & consolationem non ex auditu, sonoque verborum, sed ex participatione quarant & percipiant Sacramentorum: Et quam quæso, Minister quispiam Brunsvicensis, infirmo Italo vel extero perenti communionem præbebit consolationem, si eam verbis ei præbeat Brunsvicensibus? aut quam ipse percepturus erit ab illo? Itaque Consecratio nec ex esu hominum, nec ex auditu pendet sonoque verborum, sed ex verbo Christi, quod verum est & efficax, dum dicitur, nec ut cetera hominum verba, sono transit, sed quod significat, efficit, *ipse enim dixit & facta sunt: Psal. 148.*

650. Lutheranos, iustas & legitimas habere causas, cui verba Cœnæ apud ipsos recitent infirmos. Legitimas vocant causas, quas nulli vnquam Pontifices, nulli Episcopi, nulli Pastores, nulli Maiores, nulli Patres, nulla Concilia, nulla Scholæ, nulli Theologi, nulli Ministri, nulli Christiani, nulla vnquam pro legitimis agnouerunt Ecclesiæ? Et quæ illæ legitimæ causæ, omnium scripturarum & Ecclesiarum testificatione & auctoritate destitutæ?

*De util. credendi
cap. 3.*

651. In causis fidei & religionis, iuxta Augustini & omnium Patrum sententiam, & communem regulam, non valere: *Hæc ego dico, hæc tu dicis, sed hæc Dominus dicit*, proinde attendendum non esse quid Patres, vel Pontifices, sed quid Propheta dicant & Apostoli. Atqui nullus nec Propheta dixit, nec Apostolus scripsit, tremendum hoc mysterium, non in Ecclesiis, vel altari-

altaribus, sed in domibus & tabernis apud ipsos consecrandum esse infirmos. Et solos quidem audiendos esse volunt Apostolos, Prophetas, Euāgelistas, &c. nullos Monachos, nullos Episcopos, nullos prelatos, &c. Et tamen Lutheros audiunt, Calvinos audiunt, Zwingl. audiunt, Philippos audiunt, Buceros & Bulling, & similis farine homines, & maiori ex parte Monachos apostatas audiunt? si quis vero nec hos quidem audiendos dicat, Ecclesiam audiat, quam ipse Prophetarum & Apostolorum audire iubet Dominus, Marth. 18.

652. Christum & Apostolos, Cœnam non in tēplis & aris, sed in priuatis mensis consecrassent & domibus. At fecissent, arbitrator, nisi perfidi obtitissent, Vt primum tamen Christiani aliquo numero esse cæperunt, ea omnia, quæ posteri per manus tradita acceperunt, inspirante Deo instituerunt. *An domos non habētis, (inquit Apost.) ad manducandum? aut Ecclesiam Dei contemnitis & confunditis? Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*

1. Cor. 11.
1. Cor. 9. 10.

653. Ordinis gratia, vtile esse, publica extare loca, pro administratione Cœnæ. *Kem.* Cum paulò antè dixerit, *Simplissimum, reftissimum, & tutissimum esse, si res hæc tota, ad normam exigatur institutionis diuinæ, quæ nec in templo, nec in altari, sed in mēsa & Cœnaculo facta est publico; Cur hanc normam non seruāt, aut potius cur seruant? cur Ordinem Ecclesię totius conturbant & confundunt?*

654. Infirmorum necessitatem exigere, vt apud eos Eucharistia consecratur. *Idem.* At quæ illa necessitas? An non facilius è tēplo defertur, quàm apud infirmos consecratur hostia? Confusionē ergò istam, error & opinio, nulla peperit vel exigit necessitas, etenim si deferri posse Eucharistiam crederent, ipsam apud infirmos consecrandam esse minimè dicerent. Quamuis (vt dictum est) nec in templis quidem aut domibus quibuscunq; consecrandi potestatem habeant, aut consecrent.

655. Ridiculos esse Pontificios, quod asserunt corpus & sanguinem Christi, non tantum esse in vsu, sed etiā extra vsum, cum post vsum nullus sit vsus. *Kem.* Quasi extra vsum esse, idē sit, ac post vsum esse? An enim non est extra vsum, quod est ante vsum?

Quin absurdius est longè, dicere, ante vsum non esse, quod vsu consumi debet, quàm post vsum esse, quandoquidem per vsum, in specie vna sic consumitur, vt tamen in altera relinquatur, cù ante vsum, opinione ipsorum, nec in vna sit, nec in vtraque specie Christus.

De Transubstantiatione.

Ex Kemn. in 2.
part. Examin. d
pag. 88.

656. **T**Ransubstantiationem, vnam esse ex columnis Pontificij regni, ad stabiliendam & fulciendam abominationem de asseruatione, adoratione, circumgestatione, & cæteris prophanationibus Cœnæ. *Kemnitijs loco citat.*

1. Tim. 3.

Miror, si vllus vnquam docuit Pontificius, Cœnam esse asseruandam, adorandam, vel circumgestandam? Non solum autem Transubstantiatio, sed ipsa quoque Ecclesia Pontificia (cum sola sit nomineturque Catholica) columna est, & firmamentum veritatis, in cuius columnis demoliendis & subuertendis, omnes hactenus inferorum portæ, hæreticorumque & persecutorum lingua & lanceæ, frustra laborarunt & laborabunt in posterum, cum supra petram fundata sit ac stabilita. Quisquis autem

Matth. 16.

Transubstantiationem diruit, verbum Dei penitus subuertit, & Christum ex Sacramento proscribit.

657. Multas otiosas & portentosas quæstiones præcaueri & præcidi de accidentibus absque subiecto subsistentibus, si non obtrudatur & admittatur transubstantiatio. *Idem.* Haud dubium; Verum si salua veritate & fide negari posset, eam Ecclesia haud recepisset, nec orthodoxus quisquam astruxisset. Infinite & inextricabiles de Verbo Homine sunt quæstiones, nec ideo tamen verbum caro factum negatur.

658. Nullam esse panis in Corpus, aut vini transmutationem in sanguinem. *Luth. in Conf. de Euchar. Et in serm. de Euchar. & Fraternit. planè oppositum.*

659. Trans-

659. Transubstantiationem nouum esse figmentum & inuentum Papisticum. Fortè, si nomen spectes, sin autem rem spectes ipsam, non homo, sed Deus dixit, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

660. Mendacium fore, panem esse corpus, si non sit panis. Atqui oppositum verum est, quomodo enim panis est corpus, si panis est panis?

661. Pontificios sine certo & perspicuo scripturæ testimonio asserere, panem transubstantiari in corpus Christi. An ergò scriptura perspicuè non ait, panem esse corpus? atqui panis verè esse non potest corpus, nisi mutetur in corpus.

662. Rursum. Pontificios, aiunt, non habere fundamentum transubstantiationis in verbo Dei. Cum nisi admittatur transubstantiatio, admitti necessariò debeat tropica significatio, si enim panis substantialiter non est corpus, panis ergo corporis siue presentis, siue absentis, signum erit dumtaxat vel tropus, illud enim omne, quod alterius appellatur nomine, si ipsum non est substantialiter, figuraliter dumtaxat & significatiuè esse, necesse est. Cum ergò panis dicatur corpus, si corpus non est essentialiter, accidentaliter tantum extrinsecè & figuratiuè sit necesse est. Negatio ergò Pontificiæ transubstantiationis, affirmatio est in fundamento Calvinisticæ opinionis & significationis.

663. Christum appellare panem suum corpus, propter mysticam panis vnionem cum corpore. *Kemnit.* Verum hoc Kemnitius, nullus dixit Apostolus: An etiam Christus petra dicitur, vitis & agnus, quia coniunctam & vnitam sibi haberet petram, vitem, & agnum? 1. Cor. 10.
Ioan. 15.
Ioan. 8.

664. Panem non appellari transubstantialem, sed Sacramentalem. Cum eum ipsum Christus appellet, supersubstantialem, nusquam verò Sacramentalem. Matt. 6.

665. Panem appellari supersubstantialem, quia non est vulgaris, sed Eucharisticus. At cur aliam fingunt, quàm vox ipsa præbet significationem? si enim supersubstantialis, quomodo substantialis vel naturalis? si quis tamen aliam qualemcunque

Millesexcenti Errores,

comminisci velit significationem & interpretationem, prohibere, quis potest? Ecclesia tamen aliter nunquam intellexit.

666. Christum appellare corpus suum panem, non spectrū panis. At neq; panem, sed (Hoc) quod manu tenebat frangebatur & porrigebatur, corpus esse dixit, si ergo quod porrigebatur corpus erat, quomodo panis erat? panis siquidem, quamdiu panis retinet substantiam, non corpus, sed panis est.

667. Non consistere veram Sacramenti rationem, si dicamus, annihilari elementum, verbum enim accedens ad elementum, non annihilat elementum, sed facit Sacramentum. Quasi idem sit annihilari, quod transsubstantiari vel transmutari? verbum autem accedens ad elementum, non tam fit, quam facit Sacramentum, utroq; siquidem Sacramentum constat, verbo pura & elemento, de cuius tamen ratione non est, ut nulla sui parte immutetur elementum, dummodo externum sit & sensibile, & rei quam denotat signum.

668. Per transsubstantiationem deperire analogiam signi & rei, quæ est in Sacramento. At miror, si quid aliud vel amplius significat panis seruata, quam panis mutata substantia? neq; enim externa elementi significatio, ab interna eius pendet provenitq; substantia, sed ab accidentibus, quæ sola sunt sensibilia signa.

669. Lutheranos non esse curiosos vel sollicitos de modo existentia seu presentia corporis in Sacramento, sed simpliciter credere, in Cœna offerri & exhiberi corpus, modum autem presentia humiliter sese commendare Deo. *Kemuit. pag. 76. 88.* Egregie: Non sunt (inquiunt) de modo solliciti vel contentiosi, & tamen modum à tota probatum Ecclesia, incredibili contentione damnant, damnatum verò probant & obtrudunt; An simpliciter & humiliter credunt & docent, quod tam pertinaciter contra omnes alios credunt & docent? An veteres non fuerunt simplices?

670. Veteres nihil de tali prodigiosa & præstigiosa metamorphosi & transsubstantiatione tradidisse vel cognovisse.

Kem.

Kemnit. Cum vltro eodemq; fateatur loco, patres sensisse & scripsisse, fieri mutationem & conuersionem panis, non tamen per transubstantiationem, Atqui transubstantiationem, siue transmutationem, siue voces conuersionem panis, in idem recidunt omnia.

671. Veteres, quando scribunt fieri mutationem vel conuersionem panis in corpus, & vini in sanguinem, non aliud intelligere, quam post verba institutionis, panem non esse amplius panem vulgarem, sed Eucharistiam, duabus naturis constantē, terrena seu elementari, & cælesti. *Kemnit.* Sed hac via, ipsorum quoq; Pontificiorum verba interpretari, atq; omnem omninò mutationem eludere possemus: Pontificij verò nec Scholasticos, nec Patres sic intelligunt. Liquet autem ex dictis, Patres non aliter intellexisse, quam Pontificij intelligunt. Neq; enim Sacramentum vel ad horam extra vsum asseruassent, aut adorassent, nisi substantiæ mutationem & transubstantiationem credidissent.

672. Veteres seipso explicare, quomodo intelligant panē mutari, & non esse panem, sed corpus Christi, quia nempe Sacramentalis panis est & Eucharisticus, coniunctā habens substantiā cælestem. *Kem.* Cum Caluin⁹ contendat, ideo veteres panē vocare corpus, vel mutatum, quia significat corpus, cuius vim & efficaciam præbet sumētibus, quārōne (vt supra) etiam ipsorum distorquere possent Pontificiorum verba, neq; enim aliis, quam ipsi vtuntur veteres verbis. Ecclesia verò successione & traditione Patrum, & omnium antiquorum continuata & stabilita, longè aliter veterum membrorum suorum verba intellexit.

673. Rurs. Veteres (inquiunt) aliter mutationem panis intellexisse, quam Pontificij intelligant. Cum pag. 96. vltro fateatur *Kem.* nec Damasc. nec Theophylact. nec Hug. nec Longob. nec alios sic intellexisse Scholasticos: An vel solus Lombardus, ipso teste *Kem.* p. 3. sua non solet exquisitè probare ex Patribus?

674. Non esse curandū, quando de antiquitatis sententia quæstio est, quid Damasc. Theophylact. Richard⁹, Hugo, Lombardus

Millesexcenti Errores,

bardus vel alij senserint, sed ipsos inspiciendos esse Patres. *Kem.*
Quàm vanè? An enim quando de veterum sententia questio est,
non magis veteriorum & veteribus propinquiorum quàm nostrū
vel recentiorum de veteribus curandum, & auscultandum est
iudicium? An Lombardus cæteri que Scholastici, diligentissimi
pariter, ac curiosissimi Patrum scrutatores & interpretes, quid
prædecessores ipsorum Patres per transmutationem panis intel-
lexerint, non intellexerunt? Et si hi quoq; tuo hallucinantur iu-
dicio, Ecclesiam cur non audis? quæ utique errare non potest,
cum sit columna, petra & fundamentum veritatis? Matth. 16.
18. 1. Tim. 3.

Lib. 4. cap. 34. 675. Irenæum disertis scribere verbis, Eucharistiam dua-
bus constare naturis, terrena seu elementari & cælesti: Hunc lo-
cum Lutherani omnes passim allegant, quem tamen nulli post
Irenæum Theologi, ut intelligunt ipsi, intellexerunt: Quin iis-
dem quoq; omninò verbis, qui transubstantiationem constan-
ter asserunt, utuntur Pontificij, neq; enim ideò duabus non con-
stat rebus & naturis Eucharistia, quia substantia abest panis, cū
& ipsa natura sint terrena accidentia. Ac prorsus nouum est, as-
serere, rem mutatione vel conversione fieri, vel esse aliud, nec
tamen in ipsa quicquam mutari? Loquitur ergò & intelligitur
Irenæus de pane, sicut alij loquuntur & intelliguntur patres &
ipsi quoque Pontificij, qui propter externam panis speciem, Sa-
cramentum quod corpus est Christi, panem vocant.

Dialog. 2. 676. Ex Theodor. conuinci, elementa non mutari in Eu-
charistia, sed manere, sic enim scribit: *Signa mystica post sanctifica-
tionem non recedunt à sua natura, manent enim in priori substantia figura
& forma, & videri & tangi possunt sicut prius, intelliguntur autem ea
esse quæ facta sunt, & creduntur & adorantur.* *Kem. pag. 94.* Vide
quantum laborent, si quo modo ex veteribus errorum suorum
inuenire queant patronum? quem si etiam in speciem produxe-
rint, mox totitribuunt antiquitati, & opponunt orbi, quod vix
vnus ex tota specie tenus docuit antiquitate & orbe. Atqui nul-
lo modo credendum est, quemquam ex veteribus cæteris con-
tradi-

tradixisse veteribus, cui nullus contradixit ex veteribus. Ex verbis autem Theodoreti evidens est, ipsum non loqui de alia substantia, forma vel figura panis, quàm quæ & videri potest, & tangi, quod substantiæ propriè dictæ non conuenit, quæ nec videri potest, nec tangi. Deinde expresse ait, licet videantur & tangantur, sicut prius, non tamen ea esse quæ fuerunt, sed credi & adorari quæ facta sunt. Vnde idem in Dialog. 1. reddens rationem quare appellatio panis tribuatur corpori & econtrà, ait: *Volebat Christus eos, qui mysteriorum sunt participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia credere.* Præter nominis ergo mutationem rei quoque agnoscit mutationem: Et Locus quidem à Scholasticis minimè præteritus fuisse, si aliter intelligendus esset.

678. Ex Gelasio, Rom. Pontifice demonstrari, quæ fuerit veteris Ecclesiæ sententia, de mutatione panis in corpus, ait enim sic mutari, quemadmodum mutatur humana natura in diuinâ, quæ non transmutatur in substantia, sed manente substantia vinitur, cuius oppositum docebant Eutychniani: *Et hoc testimonio mirum in modum insultat Kemnitius Pontificis, ad eò vt ipsum quoque Pontificium Legatum, Cardinalem Contarenum, in Colloquio Ratisponens. hoc testimonio Romani Pontificis attonitum obstupuisse scribat, pag. 94.* Atqui Gelasium istum Romanum fuisse Pontificem, Kemnitius nondum probauit, quando quidem non pauca citat ex Eusebio, Cæsariens. cuius libros Gelasium Papam constat damnassee. Deinde esto, fuerit Pontifex Romanus, aliud non voluit, quàm quod ex Theodoro annotauimus, nempe non ita transire panem in corpus, vt nihil omninò de pane remaneat, cum ad oculum pateat, manere figuram & formam panis: alioquin si nullam prorsus fieri mutationem censuisset, quomodo in diuinam naturam, spiritu perficiente, panem & vinum transire dixisset? Neque enim mutari, vel in aliam transire substantiam quicquam dici potest, si absque vlla sui mutatione alteri coniungatur.

679. Absurdum non esse asserere, panem mutari vel con-

*De Eutychni
infra*

*In suo Decret. de
lib. Authent. &
Apocryph.*

Millesexcenti Errores,

uerti in corpus, quamuis nulla fiat substantiæ panis mutatio. At-
qui absurdum esse omnibus hactenus visum est Theologis, Ali-
oquin siquidem corpus magis in panem, quàm panis transmu-
tari diceretur in corpus, quandoquidem corpus in pane esse
incipit, vbi ante non erat, pane interim nec locum mutante, nec
accidens, Mutatio ergo non pani, sed corpori tribuenda foret in
pane.

680. Innocentium III. Primum fuisse, qui in Concilio
Lateranensi. transubstantiationis, & nomen & rem excogita-
rit & definierit. Quasi conuenientia rebus indere nomina vlli
sit illicitum? Nec id solum ab Innocentio, sed ante ipsum defini-
tum est in Concil. Roman. sub Nicolao II. & sub Greg. VII.
Vide Bellarm. lib. 3. de Sacram. Euchar. cap. 23.

In Instruct. Ar.
mens.

681. Nec in Concilio quidem Florentin. receptum fuisse
dogma de Transubstantiatione. Kem. pag. 96. At hæc sunt ver-
ba Concilij: *Substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in
sanguinem conuertuntur.* Quæ quidem verba, si quis in alium distor-
quere velit sensum, prohibere quis poterit? atqui post Concilium
nemo aliter intellexit, quàm de transubstantiatione.

in 4. d. 11. q. 3.

682. Scotum, Cameracensem & alios quosdam ingenue
fateri, nullis nos nec scripturis, nec fidei Symbolis, nec Pa-
trum verbis, cogi ad dogma transubstantiationis, & sine ea æ-
què defendi posse præsentiam corporis. Kemnit. pag. 89. Sed a-
lios aliter sensisse, statim subiungit. Et ipse Scotus addit, Ex scri-
ptura per Concilium declarata probari eandem, & eum sensum
pro vero esse recipiendum, quem Concilium declarat.

683. Christum & Paulum, Panem non tantum antè, sed
etiam post consecrationem appellare panem. Quasi & ipsi quo-
que Pontificij panem non appellent? an idè non mutatur, quia
propter speciem, quam sensibus ingerit, panis vocatur? Quam-
uis vero videatur & dicatur panis, non tamen est panis, sed cor-
pus Christi, dicente Christo, *Hoc est Corpus meum.*

684. Andradiū, ex omnipotētia Dei, pbare transubstant.
Kem. Cum id solum velit, eam nō repugnare omnipotentie, cui,

vt non

vt non repugnat, substantiã quamlibet ex nihilo creare, ita non repugnat, substantiam quamlibet creatam, in aliã transmutare.

685. Veteres ex eo, quod natura symbolorum non mutatur in Eucharistia, probare contra Eutychianos, naturam humanam in Christo non esse mutatam, sed manere distinctam à natura diuina. *Idem supr. ex Gelas. & Theodoret.* Cum oppositum magis sequatur. Ex eo enim, quod Catholici conuersionem symbolorum in corpus & sanguinem admittebant, Eutychiani conuersionem quoq; & mutationem naturæ humanæ in diuinam inferebant, quibus responderunt Catholici, non ita mutari panem, quin forma, figura, & species eius maneant, proinde aliqualem, non tamen parem omnimodè esse rationem.

686. Per transubstantiationem aperiri fenestram, opinandi cum Marcionistis & aliis hæreticis, corpus Christi esse purè phantasticum, quod modò hîc, modò alibi; modò sursum, modò volitet deorsum; modò sit, modò non sit. *Kemnit.* At ne ipse phantasticus? phantasticum siquidem id esse dicitur, quod sensibus esse apparet, cum re ipsa non sit, cuius planè contrarium de corpore Christi asseritur, verè scilicet adesse, tamen si sensibus adesse non apparet.

687. Panem in Eucharistia negare, non esse aliud, quàm ipsum sensum negare. At si sensus mysteria fidei comprehenderent, mysteria non essent. Sed neque sensuum obiectum, substantia est, cum sola substantiæ, ab illis percipiantur accidentia.

688. Si liceat Pontificiis asserere, in Eucharistia non esse substantiam panis, quamuis oculis appareat panis, licitum quoque inferre, Christum non esse verum hominem, licet videatur exterius esse homo, Et sic de re qualibet alia: Atqui aliud est longè, quod velis affirmare, aliud verè affirmare, illud affirmare licet, quia Christus affirmat, de re verò qualibet id asserere non licet, quia neque Christus affirmat, neque Ecclesia confirmat, Fortè tamen de Kemnitio, Luthero, & similibus, quia in omnibus sibiipsis apparent contrarij, dubitare quis possit, transformate sint, vel transubstantiati homines.

689. Ac-

Millesexcenti Errores,

689. Accidentia panis, non posse subsistere sine substantia panis, Cum accidentium aliud non sit esse, quàm inesse: Actui vel potentia, inquit Philosophi & Christiani: Neq; magis repugnat accidenti esse sine subiecto in Sacramento, quàm naturæ humanæ sine supposito in Christo.

690. Fatendum fore, Accidentia per se subsistere, si dicatur & concedatur per sese existere, cum necesse sit, omne id, quod existit, vel per se subsistere, vel inexistere. Rectè: Inexistentiam verò duplicem distinguunt logici, actualem, & habitualem seu potentialem, quamuis enim accidentia actu non existant in subiecto, potentia tamen inexistunt, cum potentiam dicant & habitudinem ad subiectum, ad differentiam substantiæ, quæ sic subsistit, vt nec potentiam quidem habeat ad subiectum vel (vt loquuntur) ad in-existentiam.

691. Augustinum scribere, fieri nequaquam posse, vt id, quod est in subiecto, maneat, intereunte subiecto. Cum de Accidentibus loquatur naturaliter, non supernaturaliter existentibus, alioquin panem esse *epiusionem*, & corpus Christi palam affirmat. Serm. 28. de Verb. Dom.

2. Soliloq. c. 12.
Idem epist. 57.
ad Dardanum.

692. Quando Augustinus, Ambrosius, Cyrillus & alij scribunt, post consecrationem, panem qui videtur, non esse panem, sed corpus Christi, non id velle quod Pontificij colligunt, panem esse transmutatum, sed solummodo, obiectum fidei, corpus esse non panem, quasi dicat, post consecrationem duplex esse obiectum, corpus nempe fidei, & panem sensus, panem enim videri, non credi, corpus verò credi, non videri. Kemnit. pag. 96. Ineptè; An enim forsitan antè consecrationem panis non videbatur, nec obiectum erat sensuum? Patres verò non solum aiunt credendum esse, ibi esse corpus, sed credendum esse, panem non esse panem, sed esse corpus, conuertiq; & mutari in corpus. Vnde Cyrillus: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, licet gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.*

Matth. 4.

693. Mutationem seu Conuersionem panis, non esse aliud quàm

quàm vnionem sine transitione substantiæ panis, in substantiam corporis Christi. *Kem.* At (vt dixi) si hac ratione liceat eludere mutationis & conuersionis vocabulum, etiam licebit eludere verbum transubstantiationis: Aliter verò intellexisse priores Theologos, ex verbis patet Hugonis dicentis: *Per verba sanctificationis vera panis, & vera vini substantia, in verum corpus & sanguinem Christi conuertitur, sola specie panis & vini remanente, & substantia in substantiam transeunte, Conuersio autem ipsa non secundum vnionem, sed secundum transitionem credenda est.* *Lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 9.*

694. Vanam esse Pontificiorum gloriationem de sensu & consensu omnium Patrum de transubstantiatione. Cum si rectè legantur & intelligantur, ab eorum quàm longissimè ab sint superstitionibus. At sanè hanc aduersariorum crebram obiectionem ipsa vanitate vaniorem esse vel ex hoc solo manifestum est, quod si Patres proferas ilico errasse, respondeant: Nec esse cum Pontificiis gloriandum de Patribus, sed cum ipsis, de Prophetis & Apostolis. Quæ verò Patrum sit sententia & doctrina, vel obiter eos inspicientibus à limine occurrit. Certum est autem, neminem vnquam legisse Patres, qui eos à partibus stare Pontificiis non agnouerit & dederit.

De Cultu & Adoratione Sacramenti.

665. **M**anifestam esse idololatriam, adorare Sacramentum, &c. Cum adorare Sacramentum, aliud non sit, quàm adorare Christum in Sacramento, què non adorare, manifesta est impietas, & impia idololatria. *Ex Kenn. in 2. part. Examin. pag. 97.*

696. Christum non esse in Sacramento, proinde nec adorandum esse in Sacramento. *Caluin.* Si Antecedens verum est, Consequens non erit absurdum. Si autem illud verum est, verbū Christi falsum esse necesse est. Alibi.

697. Quamvis Christus sit in Sacramento, non tamen esse adorandum in Sacramento, sed in Cælo. *Luther. de Eucharist. ad Waldens. Philipp. Illiric. Kemnit.* Atqui non video, quomodo rectè solideque non inferatur, si adorandum non sit Sacramentum, Christum verè non esse in Sacramento, curenim alioquin non esset adorandum in Sacramento? Vnde Ministri Tygurini, in Apologia anno 1545. edita, contra ultimam Lutheri Confessionem, ingenuè libereq; fatentur, se cum Pontificijs sine vllò scrupulo adoratuos Sacramentum, si persuaderi possint, Christum verè & realiter esse in Sacramento. Et idem prorsus Luth. de Adorat. Sacramenti, quandoquidem Christus vbicunque sit, adorandus sit, Non ergo adorare Christum in Sacramento, aliud non est, quàm negare Christum esse in Sacramento.

In Confessione
Antuerpiensi.
Et in Apolog.
secund. cap. 14.

698. Nullum esse qui dubitet, sitne Christi corpus in Cœna adorandum, nisi qui cum Sacramentariis Christum in Cœna præsentem esse neget. *Kemnit. loc. cit.* Cum Illyricus, nec in vsu quidem adorandum esse contendat: Neque aliter adoretur ab ipsis Christus in ipsorum Cœna, quàm in Cælo, vel in re qualibet alia.

699. Christum esse adorandum in Cælo ad dexteram Dei Patris. Quasi quisquam tam sit atheus & infidelis, hoc qui nesciat, vel neget, vel Christum in Cælo non adoret? Quæritur autem, cum Christus non minus sit in Sacramento, quàm in Cælo cur minus adoretur in Sacramento, quàm in Cælo?

700. Christum esse adorandum, vbicunque verè præsens est *Luth.* Cur ergò in, sub, & cum pane non adorant? quandoquidem in, sub, & cum pane præsentem esse non negent?

701. Christum esse adorandum in Actione Cœnæ. *Kemnit.* At cur non etiam in, sub, & cum pane? an minus est in, sub, & cum pane, quàm in actione Cœnæ?

702. Rursum, Christus (inquiunt) adorandus est in actione Cœnæ. Cum nullus adhuc eorum definierit, in quam parte actionis sacramentaliter Christus sit præsens? neque Christum adorent in Cœna, sed dum Cœnam sumunt, in Cælo?

703. Vbiq;

703. Vbique Christum esse adorandum, cum vbique vere sit praesens. *Lutherani.* At si non magis est in Caelo, quam in Sacramento, cur magis adorant in Caelo, quam in Sacramento?

704. Rursus. Christum esse vbique, & vbique adorandum esse: Et tamen Pontificios idololatrias clamant, quod eum adorant in Sacramento vel Sacrario? quomodo enim, si vbique est, & vbique adorandus est, in Sacramento, vel in Sacrario adorandus non est?

705. Christum esse adorandum in tota actione Coenae. Quasi non etiam extra actionem? aut aliud sit ipsorum adoratio in Coena, quam adoratio Christi in caelo, quam omnes & vbique Christo deferunt fideles. Verum hoc non est adorare Christum in Sacramento, sed extra Sacramentum.

706. Denique. Nemo est (inquit Kemnit.) nisi Sacramentarius, qui neget, aut dubitet, Christum esse adorandum in Coena. Et tamen si legas & relegas, totum ipsius hac de re verbosissimum tractatum, aliud non extorseris, quam Christum adorandum esse non in Sacramento, sed in Caelo. Vnde pag. 98. sic ait: *Nec alliganda aut affigenda est adoratio Christi ad elementa panis & vini, neque enim in illis localiter inclusus continetur, sed panem Coenae reuerenter sumamus, ipsum verò Christum in caelesti maiestate sua, supernaturaliter in Coena praesentem in adorando intueamur.* En quo tueantur & vbi adorent homines isti? & tamen non solum calumniari, sed mentiri aiunt Pontificios, quod Christum non adorent in Coena?

707. Pontificios esse idololatrias, & adorare panem. Mirum quomodo adorent panem, cum nullum in Sacramento agnoscant, sed transmutari doceant panem?

708. Pontificios adorare Christum in pane, cum non sit in pane: At si non est in pane, vel specie panis, falsa est ergo doctrina eorum vulgata, corpus esse, in, sub, & cum pane.

709. Christum non esse in, sub, & cum pane extra
X 2 vsum,

usum. At hæc implicant: si enim in usu duntaxat est panis, non est ergo in, sub, & cum pane, nisi idem esse dixeris panem, & usum panis?

710. Pontificios adorare signum seu speciem panis. Minime: sed adorant Christum in signo, sine adoratione signi, sicut adoratur in Cælo sine adoratione Cæli, terminus siquidem adorationis substantia est, non accidens.

711. Non posse adorari Christum in Sacramento, nisi adoretur & ipsum Sacramentum: An ergo non potest adorari in Cælo, nisi adoretur & ipsum Cælum? An non poterat quondam adorari in vestimento, nisi & ipsum adoraretur vestimentum?

712. Pontificios esse idololatrias, quoniam adorant Sacramentum. An ergo Sacramentum idolum?

Matth. 17.
Matth. 20.
Marc. 0.
Luc. 22.
713. Christum non dixisse, *Accipite & adorate*; sed, *Accipite & manducate*. Ineptè: Neq; Pater dixit: *Hic est filius meus dilectus, ipsum adorates*; sed, *ipsum audite*; Nec ipse se ipsum adorandum, sed manducandum proposuit Christus. An ergo nec Christus adorandus? Et unde sequitur? Non dixit, nec iussit, ergò non est faciendum? An idè nec adorandus est Spiritus sanctus, quia adorare scriptura nusquam tradit vel præcipit?

714. Nullibi esse scriptum, ut panem adoremus. At panem quis adorat, vel adorandum proponit? Neq; enim dixit Christus: *Hoc est panis*; sed, *Hoc est corpus meum*, quod qui adorandum negat, non Christianus, sed Paganus est.

715. Neminem esse tam phanaticum, qui neget Christum esse adorandum, dum manducatur: Vtiq;: Verum longè diuersum est, adorare Christum dum manducatur in Cælo, & adorare Christum in Sacramento. Nec ratio assignari potest vlla, cur in Cælo magis adoretur, quam in Sacramento.

716. Christum esse adorandum in Cælo, vbi residet ad dexteram Patris, in sede Maiestatis suæ. Hæc si diu multumq; dicta scriptaq; Lutheranorum euoluas omnia, vna est omnium, nec alia sententia, Christum non esse adorandum in Sacramento, sed in Cælo: Quod quidem re ipsa aliud non est, quam negare Chri-

Christum esse in Sacramento, quemadmodum Christum in Cœlo esse negat, qui in Cœlo adorandum esse negat.

717. Apostolos non adorasse in Cœna Sacramentum. Imò verò: vnde enim non adorasse probabis? an quia non est scriptum? atqui longè diuersum est, Non esse scriptum, Et, Non esse factum; multa enim sunt facta, quæ non sunt scripta. Ioan. 20.

718. Non esse scriptum, Apostolos adorasse Christum in pane vel Sacramento. Respondet Apostolus, Multa non sunt scripta, quæ tamen sunt facta, Neq; scriptum est, adorasse eos Christum in Cœna præsentem, an ideò dicendum, vel præsumendum erit, non adorasse? An minus erat præsens inuisibiliter in Sacramento, quàm visibiliter coram oculis eorum in vestimento? Et si adorabant in vestimento, cur non etiam in Sacramento? Ioan. 20.

719. Si ideò adorandum sit Sacramentum, quia in eo Christus est, omnem fore creaturam adorandam, quia in omni Creatura Deus est. At si in omni creatura Deus esset, sicut in creatura panis Christus est, non absurde id diceretur, & fieret: Quoniam verò longè alio modo Deus est in creaturis, quàm Christus in creatura panis, id rectè nec sequitur, nec colligitur.

720. Neminem secunda conscientia adorare posse Sacramentum, cum certò constare possit nemini, de consecratione & intentione Ministri. Sed hac ratione, nec sumere quidem quisquam possit. Intentionem verò Deus respicit adorantis, quæ si sincera est, sufficit. Apud aduersarios verò, nemo rectè Sacramentum adorat, quia nemo rectè consecrat.

721. Adorationem Sacramenti, ab Honorio III. fuisse institutam. *Kemnit.* Quasi adorationem creatoris vlla institueri possit creatura? An fortè antè Honorium Christus non fuit adoratus? sicut ergo stultum est dicere, Papam instituisse illuminationem Solis, ità stultum est dicere, Papam instituisse adorationem Christi. Ne tamen debito suo fraudaretur Sacramentum honore, adorare præcepit, non instituit Honorius. In cap. Sane & celebr. Miss.

722. Veteres non adorasse, sed tantùm cum reuerentia & gratiarum actione sumpisse & dispensasse Eucharistiam. *Kemnit.*

Millesexcenti Errores,

Cum ex iis ipsis, quos citat veteribus, id planè conuincatur, unde August. in Plal. 98. non solum non peccare ait, qui adorant, sed peccare qui non adorant.

723. Homines magis debere esse attentos ad verba institutionis, quàm ad Sacramenti adorationem, aliàsue minimè necessarias cæremonias. *Luth. ad Wald.* Quasi Eucharistiæ communicatio, aliud non sit, quàm concio quædam, ad excitandam vel alendam fidem? aut plus minúsue de ea quisquam percipiat, siue verba audiat, intelligat & retineat, siue non audiat? Quin ex ipso verborum auditu, ipsa nascitur adoratio, ideo enim, adoramus, quia corpus esse Christi ex verbo Dei audimus & scimus.

724. Pontificios tantummodo esse sollicitos & intentos, de externa Sacramenti adoratione & veneratione, de interna curare modicum. *Kem.* At corda hominum nullus Kemnit. sed solum intropicit Deus, alioquin æqui iudices de interioribus per externa iudicant: Deus item non solum interiori affectu & spiritu, sed etiam externo colitur ritu & corpore.

Serm. de Oratio Dominie. 725. Christum esse adorandum in spiritu & veritate, sic enim Christus ipse ait, Ioan. 4. At quis negat? *Verum placendū est,* (inquit Cypr.) *diuinis oculis, non solum spiritu mentis, sed etiam habitu corporis.* Vnde & Apostolus hortatur, vt non solum animos, sed etiam corpora nostra exhibeamus hostiam Deo placentem, rationabile obsequium, Rom. 12.

Psal. 61. Rom. 2. Apoc. 20. 22. 726. Pontificios tribuere externis cæremoniis & gestibus peculiaria quædam merita. Suo, non aliorum sensu. Omne siquidem opus bonum suum habet apud Deum meritum, qui vnicuique reddet secundum opera sua. Estq; pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitæ præsentis & æternæ. 1. Tim. 4.

727. Lutheranos & Calvinianos adorare Christum in Cæna, vera adoratione cordis. Verum Pontificij de interioribus iudicare non possunt, nisi per exteriora, sicut enim verbum oris index & iudex est mentis, ita adoratio exterior, adorationis interioris. Nec quisquam Christum rectè adorat in Cælo, qui eum non adorat, vel adorandum esse negat in Sacramento.

DE